NAZIONALE
H
EMANUELE

7
9-C
8

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
28 H
38

Ex Bibliotheca
[M]ajori Coll. Rom.
Societ. Jesu

7-9-C-8

Applic.° al Coll. Rom.°

Digitized by Google

BVQVOY

QVADRIMES-
TRE ITER PRO-
GRESSV̂SQVE,

QVO

FAVENTE NVMINE, AC AV-
ſpice FERDINANDO II. Rom. Imp. Auſtria
eſt conſeruata, Bohemia ſubiugata, Morauia
acquiſita, eâdemq; operâ Sileſia ſolici-
tata, Hungariaque ter-
refacta.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ACCEDIT APPENDIX PROGRESSVS,
eiuſdem Generalis, in initio Anni 1621.

AVTHORE
CONSTANTIO PEREGRINO.

VIENNAE AVSTRIAE,
Ex Typographia Gregorij Gelbhaar.

ANNO M.DC.XXI.

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ILLVSTRISSIMO ALBERTO DE LONGVEVAL, BVQVOY VNIGENITO, BARONI de Vaux, &c.

ACCIPE magni parentis, ſpei magnæ ſoboles, quæ à te imitanda ſunt geſta, breuiſsimo tempore, non præclara tantum, ſed admiranda. Id iubent ſtemmata illuſtria, vt in ortus ſuos exurgant generoſa ſemina. Per me licet vt legas quæcunq; iuuent: opto tamen vt minimè hæc negligas, quia tua ſunt. Martialem tibi canere puta.

Qui legis Oedipodem, caligantemq; Thyeſtem,
Colchidas, & Scyllas: quid niſi monſtra legis?
Quid te vana iuuant miſeræ ludibria chartæ?
Hoc lege quod poſsis dicere iure, meum eſt.

Dominia, cenſus, opes, non ita tua ſunt, quin amitti, vel in alios transferri poſsint. Sed paterna trophæa, in tuum ſolius patrimonium, & opimam hæreditatem,

aduenіunt. Leuidenſe eſt munus, craſsiori, ac agreſtiori orationis filo. Illud tamẽ ne aſperneris, poſtulat vel cum rudiori ſtylo, illibata fides, ac animus in te propenſus ſcribentis.

Tuus obſequentiſsimus cliens

CONSTANTIVS PEREGRINVS.

I.

NVLLVM ad hæc ſcribenda cacoëthes emergendi in lucem, ſed vnicum veritatis (cuius ſemper fui & eſſe debui cupidiſſimus) ſtudium impulit. Varij ſiquidem cum circumuolitent de hoc itinere, ac progreſſu, libelli, veluti ad inuidiam Veritatis conſcripti: non potui eiuſdem veritatis quæ cõtra fictas omnium inſidias facilè defenditur, non ſuſcipere patrocinium. Et certè fere nihil ſcribam, cuius non fuerim oculatus teſtis. Non tamen carpere quempiam eſt animus, ne quidem eorum qui mercenario animo vel ficta ſparſerunt, vel facta denigrarunt, vel benemeritis iuſta encomia inuiderunt. Neque ſub palpandi propoſito, ſuffragari cuicunque (cum nemine indigeam) conabor. Non denique vlli ſuam debitam quam ſcire potui, cum omnibus pariter ſeruire exoptem, laudem denegabo. Vnum illud amplius præfabor: de ſolo Imperiali exercitu, eiuſque ductore *BVQVOIO* inſtituiſſe me hanc narratiunculam; vt nemo miretur, ſi non ſilentium, ſaltem perfunctorium tranſcurſum meum de exercitu *BAVARICO*. Non illi deeſſe ſcio ſuos (præter ſcripta propria ad ſummum Pontificem, Electoreſq; ac alios) Panegyricos, Euchariſticos, Italicos, Germanicos,

tam

tam oratione libera, quàm ligata, longè alterius facundiæ encomiaſtes: qui pari propoſito de exercitu Imperiali, ac *BVQVOIO* ſiluerunt, ſine dubio nulla erga eos inuidia, ſed ſola præclarè ab eis geſtorum, ignorantia. Cur ergò mihi Peregrino, neſcienti quando, quomodo, aut quid glorioſè ediderint, idem non liceat, cum libenter quicquid fuerit mihi exploratum celebrare proponam? Ex abrupto igitur ita ſe res habet.

2. Ante meum ad caſtra primo Iulij aduentum, duplici (hoc ipſo Anno, 1620.) præclara, vt audiui, victoria potitus erat *BVQVOIVS*. Altera Longoloufij, 11. februa: Cæſis 800. vexillis 9. ac tormentis 2. captis. Altera, & quidem palmari, in Palmarum Dominica 22. Martij cadentibus 1200. (in quibus qua Nobiles, qua officio aliquo præfulgentes, 125.) vexillis amiſſis 18. ſine noſtrorum fere iactura. Verum quidem eſt, ipſum *BVQVOIVM* præcipitaſſe ſe (quod nunquam in militiæ Principe laudabo) in maximum periculum; cum 5. vulneribus conficeretur eius equus, & equo alieno indigeret, vt è periculo ſe eriperet. Sed in eo laudãdus eſt prę alijs, quos multi norunt, quod centum ducatos in animi grati, ac virtutis boni militis teſtimonium, concedenti ſibi equum donauerit, eidemque fauere pergat.

3. His victorijs, alijſque, ita hoſtis extimuit *BVQVOIVM*, vt præcipuas ſuas vires vndique excitas ei ſoli opponeret.

4. Exercitui hoſtili numeroſo, vt non *BVQVOIVS* eſſet impar, ſubmiſſæ ſunt à *REGE CATHOLICO*, magno Eccleſiæ Defenſore, binæ veteranorum ex Italia legiones: Altera Neapolitanorum, ſub Carolo Spinello, perilluſtris illius Caroli Spinelli nepote, qui primas copias Neapolitanas, in Belgium duxit: Altera Wallonum ſub Don Gulielmo Verdugo illius Friſiæ multis conflictibus, iuſtis autem prælijs tribus Domitoris filio: vtraque & ſe, & ſuo duce inclita, ac hoſti tremenda, hactenuſque inuicta ſæpius tamen vincens, in bello Lombardico. Eas tamen *BVQVOIVS* (vt inimicas copias diſtraheret) ſeparauit, retentis ſecum Italis, & in Bohemiam amandatis Wallonibus. Neque has ſolas legiones, ſed prius & poſterius plures, Catholicæ fidei propugnator inſignis *REX*

CATHOLICVS, è locis remotiſſimis (præter conſcriptas in ipſa Germania copias) ſumptu ſe digno, ſubminiſtrauit. Earum verò, vt etiam virtutis BVQVOII, in hac eius ad *BVQVOIVM* epiſtola, fit obiter mentio.

COGNATO COMITI BVQVOIO, REI ARMAMENTARIÆ, in exercitu meo Belgico, Generali Capitaneo.

COGNATE mi Comes BVQVOIE, *Aurei velleris Eques, Generalis rei armamentariæ Exercitus Belgici Capitanee. Ex litteris Comitis de Onnate accepi, quam edidiſti ſtragem exercitus Mansfeldici, quos fuderis, quoſque ceperis, quæ ſigna ac vexilla reportaueris, quæ etiam tormenta acquiſiueris. Tuum amorem, zelumque, cum pari prudentia, ac valore, quo mihi deſeruis, plurimum probo. Hoc bono principio, ad maiora progreſſurum ſpero, donec optatus finis toti negotio imponatur: idque eò magis, accedentibus peditum VVallonum copijs, equitibuſque ex Belgio ad te mitti iuſſis. Cum quibus ſuppetijs, inſiſtes, iuxta modum diſciplinæ militaris, vt quo citius fieri poſſit, reliquum abſoluas, cum id expedire intelligas. Oliſſipona 23. Aug. 1619.*

EGO. REX.

Hos verò VVallones, ſeu bellaces Belgas periculis ſummis ita obiecit BVQVOIVS, ita etiam ipſimet vltrò ſe expoſuerunt, & eos morbi, ac

bi, ac incommoda confecerunt, vt vix, vel ne vix quidem pars quarta eorum ſuperſit.

5 In tota æſtate vix alicuius momenti facinus ab alterutro in alterutrum exercitum compertum fuit: non ſine iudiciorum vtrobique, ac oblocutionum conſueta temeritate. *BVQVOIVS* perſpecta ac intemerata fide celeberrimus, à petulantibus linguis veluti perfidus cum hoſte colluſor vapulabat. Sed ea impudentiſſima calumnia inſanientium fuit. Alij eum neglecta cauſa publica deditum mulieribus, otio, ac ventri nimia prodigalitate indulgere inſimulabant. Nimirum appoſite: cum is ſit, qui coniugalem fidem nunquam violauit: quique ad menſuram bibit, quemque ebrium aliquando, vt opinor, nemo vidit.

6 Verum impenſas (inquiunt) facit immodicas. Fateor. Sed confluentium ad eum Nobilium (plerumque peregrè indigentium) turmæ, eius qui ſpem ſuperare, cupienda præuenire, vota præcurrere, denique qui præſtare quam vllus optare velocior eſſe ſolet; eius inquam liberalem animum, ad hoſpitalitatis maiora diſpendia ſuapte ſponte propenſum inuitare, inuitandoque vrgere, nunquam omittunt. Amici tamen maiorem frugalitatis curam ipſi exoptant. Credo, & forte in rem ſuam. Moneo tamen, ne multos poſthumos theſauros ab eo (ſi rectè hominem animo formaui meo) ſibi promitant, cum ditandi cupiditas in eum non cadat. Quin immò dicent, Milliones in Belgium, ad ſuam coniugem mittere non ceſſat. Nihil tale: nequidem hactenus vnum miſit teruntium. Et ſat habet coniunx, ſi nihil de proprio ipſe inſumat. Sed & ipſum ſubinde gloriantem audiui, quod neque ab eo coniunx, nec viciſſim ille à coniuge quicquam petat, aut expectet. Quibus tamen de eo dictis, nemo credat luxui, aut profuſioni, me velle patrocinari, cum id ſolum ambiam, ne ignoretur quis qualiſque ſit de quo ago *BVQVOIVS*, cuius impenſas longè ipſo melius ſcio eſſe tales, vt cumulandis opibus non habeatur idoneus.

7 At verò tantum abeſt, vt cauſæ publicæ nimia *BVQVOII* largitas fuerit impedimento, vt multò maximè ei profuerit. Non enim tot Ducum, Principum, Marchionum,

Comitum, Vicecomitum, Baronum, quotidie comitantium *BVQVOIVM* vllus fuit, qui Cæſari pari cum militib. promptitudine, ſanguinem ſuum, ac famulorum plurium (ſinguli plures numerabant) libenter, oblata occaſione, veluti in velitationibus quotidianis, ac prælio Pragenſi conſtabit, non litaret.

8 Calumniarum nebula nunc diſcuſſa, euentu tandem liquet, Grauenecanam tota æſtate moràm, non modò non culpandam, ſed prorſus fuiſſe neceſſariam. Sicut enim horologij rotæ non ſeorſim ſingulæ, ſed omnes ſimul, horæ momenta terminant: ita exercitus Catholici variæ in varijs locis partes, ex condicto, ſimul, vt etiam factum eſt, ferri debuerunt. Motis tamen cæteris, *BVQVOIO* paucis diebus remoræ fuerunt hoſtiles copiæ, prope vniuerſæ (ſuperabant 30. millia in vnum contracta, quorum propoſitum erat, digrediente *BVQVOIO*, Danubium ſuum facere, atque VIENNAM belli ſedem deligere, quam hinc ipſi, inde Vngari premerent, quo noſtri defenſivo bello impliciti, Bohemiam Palatino pacificè poſſidendam relinquerent. Et certè non caruit res periculo. Verum *BVQVOIVS*, *BAVARICO* exercitu in Auſtriam inferiorem (quod rerum imperitos malè habuit) inuitato, tantum Hoſti iniecit timorem, vt deſerta ſtatione munita, ad Bohemiæ defenſionem ſe ocius transferret.

9 Inſequitur promptè *BVQVOIVS*, ſtipatus non tam multiplici quam præclaro exercitu, veteranorum 20. millium. Ei quoque Principum, ac Nobilium, Italorum, Belgarum, Germanorum, Vngarorum, Morauorum, Polonorum, manipulus firmus adhæſit: quos omnes contubernalium loco ſumptibus prope regijs, menſæ ſuæ quotidie adhibuit. Septembris itaque quarto, ſacra ſynaxi paſtus, in iter ſe dedit per Longoluſianos arduos mõtes, quos ſaxoſa ſcabricie tumidos, & curribus vix peruios, docuit ſuccolare maximis ſuis tormentis. Neque ſat habuit verbo præcipere, ſed manus (decoro puluere ſordibus, ac ſudore vrgendo ac impellendo tardiores, perfuſus,) interpoſuit. Et ſemper in progreſſu aciem primam, mediam, ac poſteriorem opportuno equitatu ac peditatu ita temperauit, vt hoſti nunquam in vllis anguſtijs, nũquam in patentibus

tibus campis, eſſet quod carpere auderet. Non potuit tamen edictis, minis, ſupplicijs, incendia prohibere, quin in oculos noſtros vndique incurrerent: partim quia Barbari incendiarij præuerterent iuſtitiæ miniſtros, & deeſſent teſtes; Partim quia Generalis Capitalium rerum præfectus, enixè petenti *BVQVOIO*, nullus idoneus concederetur. Inde rapinæ, ſcelera nefanda, & omnis impietas, magno BVQVOY dolore, impunè, per noſtrum exercitum graſſabantur, non ſine eorum piaculo, ac propudio, quorum remedium adhibere intererat.

Sed an inter illos *BVQVOIVS?* Reſpondeo, (non ad gratiam; ſed veritatem) non mihi eſſe videri. Ego enim illum non ſemel audiui diſtrictè Auditoribus (ſic Quæſtores, ac cauſarum Cognitores vocant) mandaſſe, vt nulli reo parceret, ſed publici boni, ac exempli amore, in delinquentes animaduerterent, Deoque ac Reipublicæ reddendæ rationis memores, multorum delicta paucorum ſupplicio præuerterent. Ego quoque illum Tribunis, ac Centurionibus, idem ſæpiſſimè inculcaſſe, teſtis ſum Ego illum in obuios delinquentes non ſemel inieciſſe manus proprias, ac capitis pœnæ tradidiſſe, aſpexi. Ego Wallonum frequens ſupplicium, quod nullæ preces, nulla pretia redimere poſſent intuitus ſum. Ego deniq; à Germanis Collonellis miro priuilegio liberari ſontes conuictos quos falſo ipſi dicebant è medio fuiſſe ſublatos, vidi. Verum quidem eſt, milites in ſocios ſubinde ad ſupplicium comprehendendos ire iuſſos, ſi minus verbo, ſaltem opere, non obtemperaſſe: quod id (vt aiebant) non militum, ſed lictorum eſſet officium. Atque nunc rogo, quinam à militibus reliqui ſunt, qui reos *BVQVOIO* ſiſtent, ſi nullus ſit Capitalis Generalis Prætor, aut campi, vt vocant, Capitaneus? Quibus tamen omnibus non obſtantibus, autor *BVQVOIO* eſſe cupio, vt nulli de iuſtitia omiſſa, iuſtam querendi occaſionẽ præbeat. Id enim ſub æterno animæ diſcrimine ipſi incumbit, vt impunitate (omnium malorum ſcaturigine) alienis manibus non noceat. Socius vtique eſt furum, qui furta, quæ poteſt & tenetur, præpedire negligit. Sed & inexpiabile eſt illud peccatum, niſi reſtitui faciat, quod iniquè fuit ablatum. Quando verò id vt poſſit, ab ijs quorum intereſt, vt dixi, non conceditur;

libero ipſum quicquid alij obiectent à culpa, eamque ijs per quos male ſteterit, tranſcribo.

11. Data eſt iumentis, ac hominibus ſexto Septembris, loco ad pabulandum, aquandum, lignandum commodiſſimo, neceſſaria quies, & ab ipſo *BVQVOIO* præluſtrata viarum meliorum impedimentis transportandis commoditas. Secum enim trahebat præter curruum onuſtorum ingentem multitudinem, ænæa tormenta decem, quorum quinque erant partim media, partim maxima, reliqua vero campeſtria. Vbique eius oculus, vbique manus, vbique præſentia neceſſaria fuit. Equos, hominesque, qui illum ſequi voluerunt, conficiebat: vt dicerent delicatuli, ad tyrocinium ſub ipſo vndique confluentes, ſe ſeuerioris, ac ſedulioris Principis militiæ exemplo, citius quam ſperarent, veteranos milites euaſiſſe. Hoc quoque die, inane iteratò fuit claſſicum, nebula & tenebris amicos in hoſtes transformantibus.

12. Septimo Septembris, ſuperatis vijs difficillimis, & tantis tormentis, vt omnes credebant, inſuperabilibus (ob quas *BAVARICVS* exercitus equis longè robuſtioribus diffiſus merito remiſit maiora quæ aſportauerat) ad caſtrum Cromouienſe in rupe munitum, multoque milite, ac ruſticorum multitudine ſuperbum, peruenimus. Triſte in primis ſpectaculum, tendentis ſupplices manus, crudeliter tamen occiſi ab vno Coſacorum, *BVQVOIO* offerebatur. Diſplicuiſſe id ſibi nemo non vidit. Caſtrum à tubicine ad deditionem citatum, non diu detrectauit imperium: cui tamen miles noſter multa perperam damna intulit. Sed ſimplicitatis fuit nimiæ, non tantum Cromouij, ſed Miſeritij, & alibi, prætextu bibendi, emendi, loci fortitudinem ſpectandi: tot admiſiſſe confluentes ſine publica fide, quibus non fuerunt reſiſtendo qui arces illas, aut loca tuebantur. Inde enim direptiones, ac deplorationes, quibus fruſtra quærebantur remedia alia, quam deprehenſi ſubinde alicuius miſeri, ſæpe complicis potius, quam authoris (irrecuperabili interim bonorum iactura) ſupplicium. Quod ſi in optimos ſubditos, vt Miſeritij in præſtãtis ſpei adoleſcentem Illuſtriſſimum D. à BERKA, & alibi in ſimiles illa damna non caderent, tolerabilius eſſet. Nunc verò o-

miſſis perduellibus, ſæpius in præclarè de religione, ac Cæſare meritos, debacchata eſt effrenis militum licētia. Sic debet aurum cælo dignum probari, ſeruata ſcoria in ignis æterni pabulum. Vnde ergo (vt quidam appoſitiſſimè) plangis quod pateris? Medicina eſt, non pœna: Caſtigatio, non damnatio. Noli repellere flagellum, ſi non vis repelli ab hæreditate. Noli attendere quam pœnam habeas in flagello, ſed quem locum in Teſtamento.

13. Ad hoc Cromouienſe caſtrum, lætum è contra fuit ſpectaculū, hinc videre *BVQVOIVM* cum vniuerſa Nobilium caterua, correptis raptim ligonibus, ſarculis, raſtris cōplanare terram, promouendis melius tormentis: inde *MAXIMILIANVM LICHTENSTAIN* Tribunum armamentarium, cum aquæ profunditate pugnare, & cataractas ingentes improbo fabrorum labore deijcere, & fluuium tandem permiſſo libero fluxu propemodum exſiccare.

14. Octauo Septembris, *DEO* prius in Euchariſtia plenus (erat Natiuitatis Deiparæ Feſtum) in Sereniſſimi *BAVARI* amplexus optatiſſimos irruit *BVQVOIVS*, magno ſtipante virorum principum agmine. Summo conſenſu, quod è re eſſet, decretum ab ijs eſt. Symbolum nocturnum eo die, à *BAVARIO* dari *BVQVOIVS* enixiſſimè contendit, & tandem cum maxima difficultate exorauit. Aiebat enim BAVARVS, Cæſaris exercitui ſe non veniſſe Ducem, ſed Adiutorem, & certè non ſecus ac dixit, quam diu ſimul fuerunt, ſe geſſit.

15. Nono Septemb. *BAVARO* intuente, ac ſtupente cum omnibus, Cæſarianus exercitus ſpectandum ſe præbuit. Veterani milites, ordine ritè ſeruato, viſi ſunt totidem (hyperbolæ ignoſcite) prope centuriones. At multum equitibus diſcedebat, quod ex depaſtis longâ morâ Auſtriæ agris, in macilentioribus equis apparerent: id tamen eorum exploratiſſimæ virtuti nihil detraxit. E contra fuit in exercitu BAVARICO, equitibus optimè inſtructis, vtpote qui remoto, ac inuiſo hoſte, ſe ac ſuos equos vigilijs, itinerib⁹, vulneribus, minimè fregiſſent. At peditatus incommodis, caſtrenſibus inſuetus, cauſarijs, ægris, moribundis (quod etiam Cæſareanis altero anno

accide-

acciderat)miſerè fuit laceratus,& planè deplorãdus, egregiè licet animoſus.Iuncto verò vtrique exercitui, ſæpius progrediendo incommoda acciderunt hoſpitia,ita tamen BVQVOIO mandante,vt ſibi,ac ſuis,derelicta ab altero exercitu ſemper ſufficerent.

16. Eodem die ſub veſperam, Hornum ſuis ſolis Cæſarianis, BVQVOIVS obſedit. Quingenti illic, demptis ciuibus,recenſebantur propugnatores,deditionem præfractè negantes. Agitur itaque vi,& è noſtris,ex ephebis BVQVOY deſideratus eſt Hautecloquius,prima ſtipendia tum faciens: Sicut etiam Vexillifer Cichitella,& Nobilis Citius Albanus,Itali. Tandẽ inſonuerunt noſtra tormenta & fulminatũt eo impetu, vt tumefacta, ac dura hæreticorum corda, ſuo Cæſari paucis horis calcanda ſubſternerent. Omnes milites, decimo Septembris, in eius iurarunt verba, & omnes ciues eius arbitrio parêre compulſi ſunt. Buhquam quoque loci dominus fit capiuus.Hanc verò tam repentinam victoriam, Deiparæ, cuius Natiuitatis feſtum tum celebrabatur, deuotiſſimus eius cliens BVQVOIVS libentiſſimè acceptã retulit. Deinde progrediuntur ambo exercitus diſtanter quidem, non tamen remotè,BAVARICVS à ſiniſtris, Cæſarianus à dextris, hoſti vicinior; ea inter vtroſq; tranquillitate, vt non diuerſi exercitus, non diuerſæ gentes, ſed vnus populus, vna viderentur eſſe progenies. Per ROSENBERG, FELT, GRATZEN & alia loca, BODVITIVM 22. Septẽb. eſt peruentũ. Eſt ea ciuitas apprimè Regi ſuo fidelis,ſæpius tẽtata, afflicta,obſeſſa,ſemper tamẽ intemerata.

17 Communicatis hic conſilijs per duos dies, it BAVARVS,24.Septembris Bodniam, BVQVOIVS Pracaditium.Et certe Bodniani prudenter BAVARO tempeſtiuè ſe ſubmiſerunt.Non ita Pracadicenſes, non ita. Triplici ſiquidem muro incincti,feroces geſſerunt animos,ſcommata ac ſarcaſmos irrogarunt,nudataq; poſteriora obuertiſſe non exhorruerunt. Non ante diem lunæ impreſſionem in eos facere BVQVOIVS propoſuit. At milites tantæ inſolentiæ memores,œſtro vindicandi perciti, anticiparunt tempus. Collectis ſiquidem ſcalis,quæ tamen nec multæ erant,neque ſatis longæ, ſeſe inter ſe in muros extimularũt.Primus in pinnas,(vt nulli deſit

ſua,

ſua, quam ſcire potui, laus) euaſit Germanus, ex Fuggerianis. Deinde Itali, Walloneſq; magno numero, de quibus poſſum dicere, à me viſos fuiſſe ſine adminiculo ſcandere altos 30. pedum muros, vt an occulta vel bona vel mala vi ſupra humanam eueherentur, dubitarem. Et certè ſuaſor eſſe velim ciuitatibus, quas illi obſidebunt, vt prius ſe dedant, quam iſti alati Itali ac Wallones mœnia eorũ attingere poſſint, ni ſerius ſapere velint. Non tulerunt ciues, ne quidem vnius è noſtris aſpectum, ſed abiectis armis ruentes in fugam, latebraſque exquirentes, ceſſerunt. Quid tum fit?

Nobilitas cum plebe perit, lateque vagatur
Enſis, & à nullo reuocatũ eſt pectore ferrũ.

18. E tormento in colle vicino, vibrabat BVQVOIVS, iaculandi peritiſſimus (quem exercitus totus ad montem Mok in Geldria vnico iactu nauem hoſtilem fruſtra ab alijs impetitam, fracto malo expugnaſſe vidit) fatale telum. Qui irrumpentes videns milites, ſpretis periculis, quam primo potuit obuiã corripuit ſcalã, ſuperatiſq; muris, hos trucidatores percuſſit, illos direptores abegit, iſtas fœminas eripuit, toti furori militum finem impoſuit, ſinguloſque ad ſua ſigna feſtinare coëgit: Quo certè in ciuitatem celerius non tranſuolante, de ſalute ferè omnium, de pudicitia plurimarum, de fortunis vniuerſorum, prorſus fuiſſet conclamatum. Iam autem numerus pereuntium, 1500. non multum ſuperabat. Fœminæ forſan vndecim, & quinque infantes militum fæci (imbellis ſexus, ac ætas non alios hoſtes ſenſiſſet) victima fuerunt. In reliquarum fœminarum, ac virginum conſeruatione, non Religioſorum tantum, ſed Aulicorum præclarè deſudauit induſtria. Inter omnes tamen ſubueniẽdo miſeris emicuit Illuſtriſſimi CAROLI BARONIS DE HARRACH (is fortè à Cæſare ad BVQVOIVM Commiſſarius aduenerat) clementiſſimus, ardenſque affectus. Is fidus Achates BVQVOIO it comes, & paribus curis eximi rabidorum militum gladio, ac libidini, quotquot potuit. Has pœnas immanes, & quidem non immeritas, Regi ſuo, & Chriſti Eccleſiæ rebellans ciuitas, Octobris 27. ad aliorum, quos aliena ſupplicia facerent cautiores, non ſine Nemeſis ira perſoluit.

19. Nos

19 Non enim alioqui ſtupor tantus vniuerſos inuaſiſſet, quin ſi non plures, ſaltem thraſonicè, ac procaciter prius dicterijs pugnantium aliqui, aut ſi non aliqui, vnus vt minimum vim vi, (ne inultus cum ſuis omnibus occumberet) repuliſſet. At nemo, nemo inquam fuit, qui à viſo omnium noſtrorum primo in aggeribus milite, animum non deſponderit: adeò deſertis à DEO, cor, ac vires ſubtrahit ipſe timor. Quo factum eſt vt in domo ciuica demptis ijs qui ſparſim per totam ciuitatem iacebant, fere centum, ac in Balneis duplo plures, cumulatim iugulati, & à tergo omnes vulnerati, apparuerint.

20. Ciuitati dedit BVQVOIVS leges, & præſidium. Deinde Piſcam verſus, BAVARICO exercitu (qui licet non diſſitus, tamen ſeparatus à ſiniſtris, vti iam dixi, incedebat) fortior, 27. Octobris mouit.

21. Piſcenſes ante vnum annum perfidiæ pœnas funeſtas illi iam ſoluerunt, & tamen BAVARO, ac ipſi impenſius id rogantibus, ſubmittere ſeſe detrectarunt. Nolumus inquiunt Bodnianos molles (de Pragadicenſibus nihil audierant) imitari, ſed vt fortes viros decet patriam, ac nos ipſos, ab iniurijs defendere. FRIDERICVS noſter Rex erit, FERDINANDVS verò valeat.

22. O Fœdam nimis optionem! FRIDERICI, præ FERDINANDO: Vſurpatoris, præ hæreditario: iuuenculi, præ maturo: hæretici, præ Catholico. Pari dementia, (ſalua diſparitate perſonarum) & quidem exitio non abſimili prævia, etiam Barrabas Chriſto (proh furor! proh fides!) fuit olim prælatus.

23. Iuſſa ſunt igitur tam à BAVARO, quam à BVQVOIO expediri tormenta: & milites noſtri inſiliendi poteſtatem cupidiſſimè expetiuerunt. Piſcenſes interim non ſeipſos deſeruerunt, ſed ab omni parte globos, glandeſque tuti à noſtris vibrarunt, paruo tamen noſtrorum incommodo. Vnus tamen Collimator tormentarius, (vulgo Bombardarios vocant) Tribuno LICHTENSTAIN apprimè charus, cum inſtar plurimorum impedimenta amoliri, tormenta expedire, denique ſuo omni officio præclarè fungi ſoleret, magno multorum dolore è medio ſublatus eſt. In prima aurora boarunt noſtra, vtriuſq;

exercitus tormenta, & murorum ſuprema (non tamen adhuc irrumpendi, ſed læſionis hoſtilis è ſublimi prohibendæ animo) quantum ſatis erat, deiecerunt. Tutius itaque noſtris ad mœnia ſuccedere conceſſum eſt.

24. Quod dum fieret, BVQVOII alias ſemper compertiſſima erga duos VVallones comitas reſplenduit. Peruigil ille fuerat (vt aſſolet) tota nocte, dum tormenta non procul à mœnibus collocarentur, & iam ſubpalidus, tanquam malè habens (vt certè habebat) humi procubuit. Ducem ſuum, ac parentem de vultu conſpicati illi grauiter affectum, freti facilitate eius, vt dixi exploratiſſima, mœſti, ac madentibus oculis, ſic ex intimo alloquuntur animo: Tu immemor tui, ac noſtri, conficis te laborum nunquam interrupta ſerie, cum tamen cogitare debeas, tecum nos viuere, & mori, ſtare & deijci, ſuperare ac vinci. *Arcum* (vt bene ſcis) *ſi nunquam ceſſes tendere, mollis erit.* Detur proinde otium quietique ætati tuæ, non denegata equis tuis, ſi non propter teipſum, ſaltem ne nos vniuerſos interimas. Quibus BVQVOIVS, aliquot proiectis nummis, ait, ite filij mei longè chariſſimi, ſuperque ſalute mea bibite, & læti viuite, ac ſtrenuè ſemper agite: Hæc infirmitas non erit ad mortem.

25. Noſtri iam muros ſolis manibus ſuffodere inceperunt, nemine adhuc præcipiente, cum ad irruptionem nihil tormentis eſſet actum. Dum id certatim fieret, de ſumma rei deliberare cœperũt *Piſcenſes*, ſed nimia mora. Non enim antea tranſigendi ſignum ab illis eſt propoſitum, quàm noſtri mœnibus potirentur. Itaque irrumpunt, mactant, diripiunt.

Tum ſcelera, dempto fine, per cunctas domus,
Iêre: nullum caruit exemplo nefas.

26. Accurit leonis inſtar BVQVOIVS, receſſui cani fecit, Primates, Præfectoſque cunctantes grauiſſimè increpuit, deinde in mulieribus, ac virginibus eripiendis totum ſe impẽdit. Quem vellem vidiſſent iuſtitiæ (ſcilicet) patroni, qui remiſſiorem in adminiſtranda iuſtitia eum eſſe inſimulãt. Quod ſi fortè,

Sit

Sit piger ad pœnas Princeps, ad præmia velox,
Quique dolet, quoties cogitur eſſe ferox.

Non ideo repentè iniuſtus dici meretur. Etenim teſtes ſæpius deſiderantur, & *Qui ſtatuit aliquid parte inaudita altera, æquum licet ſtatuerit, haud æquus fuit.* Tempus quoque, in irroganda pœna capitis, iræ dandum eſt. Neque perinde reus eſt,

Qui teneros caules alieni fregerit horti,
Et qui nocturnas ſacra Diuum legerit.
Nec ſcutica dignũ, horribili ſectere flagello.

27. Sed neque quoties peccant homines, ſua fulmina mittit Iupiter.

28. Iam verò, ſi pigrior ſit BVQVOIVS ad pœnas, doleatque, quoties cogitur eſſe ferox: ſi teſtes requirat: ſi tempus iræ det: ſi regulam in peccatis maioribus, ac minoribus diuerſam obſeruet: An vitio id vertendum, vel potius non laudandum? Vbi verò milites ſtipendium ſibi debitum habent, euidens eſt, & capitale delictum, nec deeſt prætor, aut carnifex, & periculum mali exempli ſubeſt: Ibi iterato dico, ſi BVQVOIVS remiſſus ſit, ſi damna quæ non vindicat, tacitè iubeat: DEO, ac Reipublicæ reus, & repetundarum à DEO, ac hominibus poſtulandus, à me pronunciatur.

29. Ego tamen ipſe non ſolum alias ſæpius, ſed in ipſa *vrbis Piſcenſis* flagrante direptione, quando plerumque *ius eſt in armis, opprimit leges pudor, ſeu cum fureret armorum rabies, ferriq́; poteſtas*, ita illum iuſtitiæ implendæ auidum aſpexi, vt trium quos proprijs manibus corripuerat, tantum vnus, idque vix euaſerit; Et ipſe BVQVOIVS ſeueri, ac audacis iudicis nomen paſſim acceperit, non caput tum audentibus forſan exerere, qui nunc BIANTIVM inculpatiſſimorum vendicant ſibi appellationem.

30. Primo Octobris *Piſca*, (*Piſeck* vulgò) occiſis 1200. fuit modo iam dicto direpta, eique impoſitum præſidium, ac reliquijs quoad licuit conſultum. Die proximo vterque exercitus *Pilſnam* verſus promouit, *Mansfeldio* vana ſpe (vt eſt con-

ſutus dolis) noſtros lactante, ſe cum ea ciuitate, ac militibus, deſerto FRIDERICO, futurum Imperialem Et tanta rem arte tractauit, vt illegitimi thori germen, non ſemel perfidum, pleriſque fidem faceret.

31 Octobris ſeptimo, *Portitzij* repentino hoſtium quos prius in toto itinere non vidimus, aduentu, (fugientibus noſtris Polonis interpoſitis) ad arma exciti, obuiam proceſſimus. Verum hoſtes, ſtrage quindecim Polonorum contenti, protinus pedem retulerunt.

32 In velitatione eo die cum hoſtibus, periucundum fuit audiuiſſe Illuſtriſſimum TEVFFENPACHIVM Tribunum, hominem Lutheranum, ſed de Cæſare optimè meritum, per contumeliam (inter reliqua quæ congrediendo hoſtes ſolent) vocaſſe aduerſarios LVTHERANOS. Et rogatus poſtea cauſam dicterij, dixit, quod verum eſt: ſe ad hominem (vt aiunt) uiſſe locutum. Inter homines enim pleroſque (perperam inquit tamē) Lutherani nomine, quiuis ſectarius, ac ſceleratus deſignari ſolet.

33 Poſt diem 8. Octobr. Sereniſſimum BAVARIÆ Ducem, ne domum rediret, retinuiſſe, arduum fuit aliquoties negotium. Non enim ſolus exercitus, ſed familia ipſius prope vniuerſa, morbo tentari cœpit. Cuncti Conſiliarij, amanuenſes, atrienſes, neceſſarij, vel morte, vel morbo erant ab eo diuulſi. Hyems ingruebat, negotia domeſtica reuocabant, caſtrenſia incommoda delicioſè nutritis, qui cum eo erant Nobilibus, grauiora quam quibus pares eſſe poſſent, futura videbantur. Sed fruſtra hæc omnia: Cum magnus DEI, ac Eccleſiæ Athleta ſpretis omnium illecebris, *BVQVOIO* hortante ſæpius, ac tandem exorante, ad finem perſeuerare, quam manu appoſita ad aratrum retro aſpicere maluerit. Hoc verò palmarium *BVQVOY* facinus (cum ſoleant homines dignitate præfulgentes potentiorum præſentia vti) ſæpiſſimè apud me reputare ſoleo.

34 Octobris octauo peruenimus *Pilſnam*, & inimicorum exercitui ad vicinum *Rockizanum*, vt vim noſtram ſi quā adhibere vellemus, à *Pilſnenſibus* auerterent, adueniendi cauſam dedimus. Ne autem quid in *Pilſnenſes* machinaremur,

Mansfeldij artificioſiſſimo aſtu, ac verſutiſſimo cōmento, (quo per integros vndecim dies deluſi multi ſunt.) & ſupplementi *BAVARICI* expectatione, hæſimus. Miſſis continenter ad *Mansfeldium* nuncijs ſpem liberandi oppignoratam ſuam fidem, moræ tunc nobis inopportuniſſimæ pretio, vendebat. Et officijs, literiſque non paucis (nocte interim dieque propugnaculis excitandis incumbens) in nos optimi animi ſpecimen edere non ceſſauit. Fronte, & vultu, ſimulatio facillimè ſuſtinetur. Sed cœlo per totum iter nobis perſeuerante, ad miraculum, præter loci temporiſque naturam, ſereno, æthereque militante Cæſari pientiſſimo, (cuius aſſiduæ ad *DEVM* preces præſtabant ſuo exercitui commodam auram, & tolerandi incommoda animum alacrem) tanta diſſimulatio, tantaque mora ſine detrimento fuit. Nono Octobris in *BAVARICI* exercitus ſeparata longius ſeptem ſigna, Hungari concubia nocte irrupuerunt. Sed audito claſſico immorari timentes, non multis occiſis, paucioribus abductis, pluribus, quod pagum incendiſſent, exuſtis, reuerſi ſunt. In quorum quoquè barbaras manus *Hazenlang* equitatus *BAVARICI* Vicarius paucis comitatus in Patriam remeans, digrediente temerè auriga à reliquo comitatu, per infortunium illis diebus illapſus eſt, adeoque ab eis malè habitus, vt breui fato cederet, & illi ſpe magni lytri fruſtrarentur.

35 At BVQVOY vigilantia, qui domo neglecta in viciniore hoſtibus ſylua excubabat, terrorque veterani exercitus Imperialis, Hungaros, atquè cæteros hoſtes, à caſtris noſtris vel ſemel tentandis deterruit. Cuius fœlicitati, ac etiam prouidentiæ debetur, in nullo conflictu, nulloque receſſu, ne tum quidem cum hoſtes quadruplo eſſent fortiores, vel vnicum ſignum ſibi ablatum eſſe. Coſaccis fortè ipſo inuito prædatum remotius procurrentibus, adempta ſunt ſubindè duo, vel tria vexilla, non tantum ſine dedecore BVQVOY, verum etiam ſine omni ipſorum Coſaccorum ſenſu: qui ſat ſibi eſſe aiunt, pro amiſſis vexillis ſemper pulcriora fieri curare.

36 Noſtri milites cum ab inimicis otio fruerentur, ad prædam quærendam magno numero conuerſi ſunt. Data quidem eſt opera vt paucioribus, per vices, defectu panis, ac

potus

potus in caſtris, excurrere liceret. Sed ſurda fames legibus quibuſcunque longè erat potentior. Quod agnouit Cato in oratione quam habuit, de frumento diuidendo, dicens perdiſficile eſſe, ad carentem auribus ventrem verba facere. Poſtmodum verò, tanta ſubſequuta eſt omnis edulij vilitas, vt oues ſex vno groſſo, (eſt aſſis noſter cum dimidio) bos vnus groſſo quoquè vno vænirer.

37 Palantes milites multi vtrinque intercepti. Ex ijs verò qui in noſtram venerunt poteſtatem, quam plurimi fuerunt Angli, miſeri, mendici, laceri, vermibus, ac inedia ſqualidi; quos ſæpius noſtri ne quidem è medio tollere dignati ſunt. Plerique etiam gratis veluti caculæ, non milites, nulla redemptione noſtrorum viciſſim pacta, dimiſſi ſunt. Ex ergaſtulis enim, & triuijs, conſcriptæ erant præclaræ illæ copiæ, cauſa cui patrocinabantur non indignæ, quarum bene duas tertias partes ſolum incommodum iter ex Anglia in Bohemiam exhauſit. Inter illos recenſebantur Ibernorum Catholicorum nonnulli, qui omnes odio ingenito abominantur hæreſes, & milites ſunt, & paſſim habentur non minus fidi, quàm indomiti. Illi ad noſtra caſtra armati turmatim transfugientes, à BVQVOIO (qui illos probè nouit) libentiſſimè ſunt admiſſi, & populatibus ſuis ſub Nobiliſſimo Centurione *Saurlêo* aggregati.

38 *Pilſnam Anhaltinus* ad *Mansfeldium* literas dedit, quæ minus Principem tantum, cum euidenter eſſent falſæ, decebant. *Hoſtes* (inquit) *per ſyluas ſtudio vagantes, per incerta ſequimur. In ſuperiorem Palatinatum abire meditantur. Licet fugiant, non tamen effugient. Ducentos Polonos Portitzij nuperrimè trucidauimus. Hungari noſtri captiuos iugiter adducunt.*

39 Itane verò? ſequebamini, bone Princeps, vagantes noſtros ſtudio per ſyluas? fieri id poteſt: ſed ſtudio, vt liquet, quo non aſſequeremini. Cur enim alioquin totis vndecim diebus ad *Pilſnam* ſine vallo, ſine munimine, abſentibus aliquot millibus prędatum profectis, conſiſtentes, non eſtis aſſequuti? Cur ſemel aſpici à noſtris ſtudio cauiſtis? Cur à fugientibus, quoties concurſum eſt, etiam ſyluis, muriſque tecti, vel opprimi, vel turpiſſimè fugari ſuſtinuiſtis? Quomodo tot

Polonos trucidaſtis,ſi nec decima pars deſiderata ſit? Quorſum deniquè inanis vobis fortitudinis in nos præconium, refragante teſtimonio, omnibus teſtibus fortiore conſcientiæ? de quo non plura.

40 Ad *Anhaltinum* ſcripſit *BVQVOIVS*, Hungaros ſuos parcentes Germanis, VVallones ac Italos aliquandiu captiuos, ſpreto quod pendi ſolet lytro, per odium implacabile publicè, ac glorianter, impunè tamen, mactare. Tollendum eſſe priuatum illud odium, & vnam redemptionis retinendam pro omnibus receptam vbiquè rationem, ac ſortem, ni pariter perire vellet quotquot à noſtris caperentur. Annuit facilè, vt par erat, *Anhaltinus*, reiecta culpa commiſſa in Hungarorum exlegum barbaros mores: quos in officio continere perdifficile, & ſæpius impoſſibile eſſe, ipſe *BVQVOIVS* non ignorarer.

41 Audita eſt his diebus Comitis *Dampierij*, immatura mors, tanto cum bonorum luctu, quanto cum malorum gaudio. Quo interim gaudio, mali per imprudentiam, & prorſus neſcientes, egregiè illi parentarunt. Vita enim illius vnguis agnoſcebatur ab ijs ſuo eſſe in vlcere, cuius interitus ita fuit exoptatus. Et certè flagellum fuit acerrimum, ac antagoniſta nobilis perduellium, & domus Auſtriacæ ſtrenuus admodum propugnator. Sed arripuit, traxitque virum in exitiale periculum, fax quidem mentis honeſtæ Gloria, in *BVQVOIO* præfulgens, cuius facta immortalia æquare contendebat.

42 Huius hominis interitu, te *BVQVOIE* per *Chriſti* cruorem iterum, atque iterum obteſtor, vt ſuperuacaneis tandem deſinas te exponere periculis. Id orbis Chriſtiani à te efflagitant, nō ſolum tacita, ſed ſcripto, voce, mandatis (Pontificijs, Imperialibus, Archiducalibus) expreſſa ſemper, ac clamantia vota. Memor ſis elegantioris Admonitionis tibi datæ ſub itineris huius ingreſſum, à Blaſio Iaquotio I. V. D. conſultiſſimo tuo Auditore.

Quid ruis oppoſitos nimiū violentus in hoſtes?
Linque alijs cædes, ſit ſatis eſſe Ducem.

Cum

Cum modo quæſitos animus captaret honores,
Sat fuit hoſtili tincta cruore manus.
Conſilio nunc bella geras, nunc prælia tantum
Inſtrue, qui faciat vulnera, miles adeſt.
Vel ſi nulla tui reuerentia muneris obſtat,
Si cadit ad pondus dextera nulla tuum.
Cęde, feri, iugula, proprium ſed prodige pectus,
Quod gladijs offers, Cæſaris eſſe puta.

43 Iam tibi *BVQVOIE* ſunt preces, ſunt monita, ſunt denique exempla: an non ſufficient vt cautior euadas, ne tuo vulnere lædatur Eccleſia, Reſpublica, familia: vel quod DEVS longè auertat, ne tua temeraria morte moriantur in æternum hæreſis lue infiniti infantes? ſuſque deque omnia rebellionibus perturbentur? hoſtes Chriſti, Imperij, Domus Auſtriacæ ſuperbè bonis inſultent? Si non ſufficient, ſed ſpretis omnium conſilijs ſolus tibi ſapere in tua cauſa (alias rectè monentibus libenter cedis) præfractè velis: vulneribus ſaltem an non credes?

Vulneribus didicit miles habere metum.

Tu verò etiamnum ſexies musketi globo, & ſemel haſta, (non computo equorum aliquot ſub te occiſionem) vulneratus es: an vulneribus quoque neglectis tuæ ſententiæ tenax perdurabis? ſpero (vtinam non fallaci augurio) meliora, ſed alternante ſpe, timoreque, fidem.

44 Tandem aliquandò recedere à *Pilſna*, & *Rakonitziū* proficiſci libuit, hoſtili exercitu à dextris ſed remotius comitante. Octobris 22. circa *Pilſnam* veluti inducijs pactis non repugnantem, toto die progreſſi, in pago proximo (prius aliquot Anglis, qui fortè occurrerant cæſis) conſtitimus.

45 Die 26. Octobris ad Plaſſenſe monaſterium, vulgò Plaſſa, acceſſimus, vtroque exercitu Imperatoris, ac BAVARI, loco veluti in naturali amphitheatro gradatim eleuato, circumfuſi. Quorum nocturnis ignibus, pari vt videbantur di-

ſtantia artificiali collucentibus, vno eoque iucundiſſimo aſpectu vtrumque vniuerſum exercitum (quod alibi non contigit) conſpeximus. Ibidem in Polonos deteſtabili ſacrilegio Eccleſiam violantes, ità exarſit, & irruit BVQVOIVS, totaque eius Nobilium caterua (manus non continente ipſo *P. Iacobo della Motte* Societatis IESV,) zelo domus DEI quo mirificè flagrat ſuccenſo, vt lacertis *BVQVOY* validiſſimis, nulli baculi, nec etiam fuſtes ferè ſufficerent, nullaque (equis, & ſarcinis derelictis) fuga, ſacrilegis ſanguine madentibus, ſatis accelerata videretur.

46 Ibidem etiam lætum à pluribus viſum eſt boni ominis portentum: cuſpidem vexilli legionarij, Præfati *Don Gulielmi Verdugo* quod poſtea in *Pragenſi* prælio prælatum primo loco fuit, aliquãdiu ignea luce effulſiſſe. Quod Legioni quintæ Cæſaris in bello Africano (quo tres vno die exercitus Scipionis, Affranij, Iubæ ſuperauit,) à Plutarcho dicitur contigiſſe. Illius enim legionis, quæ elephantes deindè turbatos in propriam aciem conuertit, vndè pro ſigno elephantem accepit, haſtarum cuſpides in morem ignis illuxerunt. Quod ominoſum ſolet haberi præſagium. Vnde nautæ, igne (vocant Caſtorem, aut Pollucem) in malis aut carbaſis conſpecto, in lætitiæ ſignum, non nimis Chriſtianè exclamant, tormenta exonerant, ſibique gratulantes præſumunt certam ſerenitate ſecuritatem. Hinc illud

Oebatij fratres, pontuſque, poluſque ſerenus.

47 Ex literis Pragenſium magno numero interceptis, horum vana lætitia, illorum ſoliciti timores, iſtorum mendacia ſomnia fuerunt detecta. Facta, atque infecta à nobis, fuco, ac fermento ſuo, id eſt, mendaciorum, iniquitate mentiente ſibi, infecerunt. Iam in ſyluis latitabat BVQVOIVS. Iam *Fridericus* ſi DEO placet Rex, ſeu Mars omnipotens adferebat ſuis animos vireſque, caſtris verò noſtris terrores, ac ſtrages. Iam Turcæ Polonorum auxiliariorum millia 19. trucidabant. Iam Hungarorum 30. 40. 50. millia *Friderico* ſuppetias mittebat *Bethlen Gabor*. Iam *Friderici* exercitus 80. immò 100. ſuperabat millia: noſter verò exercitus fame, frigoreque confectus,

ab

ab Hungaris membratim diſcerpebatur. In quibus omnibus locum habebat illud Prouerbiorum: ab immundo quid mundabitur? & à mendace quid verum dicetur. Inter mendacia tot, vna fuit in literis, non Anglorum tantum, ſed Caluiniſtarum omnium luctuoſiſſima deploratio, vera an falſa ipſi viderint: quòd Elector Saxonicus Anglos Oratores non modò ſuâ præſentiâ non dignatus fuiſſet, ſed faceſſere quam citiſſimè à ſe iuſſiſſet. Non profuit illis ſuorum equorum longo itinere defeſſorum, ſuamq; propriam debilitatem, aut contumeliam quæ in ſuum redundaret Regem, violarique hoc facto ius gentium, prætendere. Preces, lacrymæ, largitiones Conſiliarijs Principis oblatæ, fruſtrà fuerunt. Exire protenus debuerunt, vel potius euolare. O duram Caluiniſtarum ſortem omnium naribus, etiam mucoſis præputida mephiti (à liliato Caluini dorſo, Bezæque Andebertulis) exhalata, grauiolētium. O ſcelus in Monitorem Regum, ac Principum atrox, eius non tantum monita, ſed munera ſpreuiſſe, Legatos profligaſſe, ius ipſum gentium cum eo non coluiſſe. Sed à Saxonibus quiduis pati, ante plura ſæcula Angli didicerunt.

48 Penultimo Octobris per vias impedimentis noſtris perdifficiles (tria ænea tormenta euerſa ſunt) prope *Raconitzium* exercitus noſter ſenſim aduenit. A parte occidentali, vel Auſtrali, an tentandi eſſent in monte præmuniti hoſtes: inter *BVQVOIVM*, ac Tilium militiæ Principes, controuertebatur. Sed *BVQVOIO*, loci iniquitatem quam ab occidente maiorem, ſpectantibus vniuerſis demonſtrante: in eius, vt aliàs ferè ſemper, itum eſt ſententiam. Emiſſarij Coſacci, dum loca à *BVQVOIO* luſtrarentur, hoſtem velitando, albis veſtiti induſijs diſtinebant, nullo quod ſciam ſuo damno. Non enim cominus plerumq; ſed eminus Hungari, ac ipſi tela eiaculantur, deindè ſimul agillimis ac perniciſſimis vſi equis, per curſus, recurſúſque ad ſuos tandem ſe recipiunt. Non ita potuit calentis ſanguinis D. de la *Boiſcherij* Nobilis Gallus, qui velitantibus nolente *BVQVOIO*, ſe admiſcuit, equo ſegniori vectus morti ſe ſubducere. Sed mors ea, cum alios Illuſtres ex eadem gente feciſſet cautiores, minus fuit lugenda. Audax, inquit quidam, ità eſto, vt procul ſit audacia.

BIBLIOTECA ... ROMA

49 Vltimo die Octobris *BAVARICO* exercitui obtigit prior acies. Sereniſſimus Dux à *BVQVOIO*, vel VVallones, vel Italos veteranos (loco ſuorum tyronum) cum equitatu ſuo admiſcendos expetiuit. Italos, non VVallones (qui alteri Generali militare egerrimè tuliſſent) *BVQVOIVS* perlibenter conceſſit.

50 *Raconizio* adiacet accliuis ab occidente mons, in cuius ſummitate hoſtis iam ſe obuallauerat. In medio montis aſcenſu, ſylua ex abiete erat, non nimis opaca illa quidem, nec etiam aprica, foueis tamen colliculiſque aſpera. Eam equitatus totus comitis *Holloc*, cum alijs, & quingenti musketarij defendebant. At non morabantur ideò animoſi, ac ſtrenui noſtri Itali, ſed contrà audentiores, cæteris copijs minimè expectatis, in confertos hoſtes proruerunt. Equites quoquè *BAVARI*, animo, auſuque ingenti, in ſyluam penetrarunt. Fit via vi, & ſtrepitu, fremituque, ac horrendo congreſſu, ſylua tremuit. Cadunt hinc, & indè plurimi. Sed cedere neſcij Itali, pellunt, expelluntque ex ſylua hoſtes, adeò de talibus militibus ſtupentes, vt ſi acies anterior & ea quidem ſola adfuiſſet, cum *BVQVOIO* (ità me audiente non vulgares *BAVARICI* exercitus homines loquebantur) cunctis caſtris fuiſſent hoſtes repulſi. Ità enim qui ſyluam malè cuſtodiebant, Italorum per tela, perque ignes in ipſos irruentium feroci audaciâ conſternati, turbati, ac veluti fulguriti erant, & in ſuos à tergo ſuccenturiatos pernici fuga retroacti, vt perculſos ſimul omnes terga dare cogerent. Viuite parthenij mei Neapolitani, viuite ſemper fortes,

Fortiaque aduerſis opponite pectora rebus.

51 In Martio hoc campo, in hoc inquam ſilueſtri Honoris cubili, magna nomina fato ceſſerunt Italorum: *Aſcanius Aquauiua* (ex Hadiranorum ad Precutinos Ducibus oriundus) *Don Scipio Serſanus, Octauius Iuuenis*, (fratre grauiter ſauciato) & alij minorum gentium non pauci. *BAVARORVM* verò, (vt ferebatur) inſignis equitum magno omnium dolore Capitaneus, cuius nomen ſcire vbi hæc ſcribo fruſtra laboraui, cum alijs occubuit. Hermannus Vipart Leodienſis,

(Leo-

(Leodium Eccleſiæ Romanæ filia chariſſima ab ipſo S. Huberto, & deinceps ſemper dicta, veluti equus Troianus, inexhauſta præclariſſimorum militum examina perpetim effundit) & ipſe equitum Capitaneus, vulnus accepit.

52 Iam vndiquè læta Collonello, ſeu Campi Magiſtro Neapolitanorum (quos ſatis laudare nequeo) *Carolo Spinello*, ac *BAVARO* equitatui canuntur pœana. Epinicia ab omnibus audiuntur. In amplexus eunt gratulabundi amici, & qui hac victoria effecti ſunt beneuoli. Omnium deniquè feſtiua gaudia, ac lætæ acclamationes virtuti applaudebant.

53 Hoſtes è contra, ſuum Theodorum Baronem de Donau, *Holloci* vice Colonellum, cum alijs plurimis cæſum, ſuorumque fugam mœſti deflebant, nec amplius cum Italis congreſſuri, vallo firmiſſimo erigendo, quo ſaltem tuti eſſe poſſent, die noctuque inſudabant.

54 Depulſo hoſte, BVQVOIVS ſuos Italos, *BAVAROSQVE* multum laudauit, & quamdiu iſtic fuit, in ſylua inter illos emanſit: neque in eum vel truculentus imminens omni hora hoſtis, vel incommoda fumantis ignibus ſyluæ, vel amicorum, ne quidem ipſius *BAVARI* dehortatio, dimouere poterat. Sed in tuguriolo ex ramis temerè congeſtis, cum omnibus ſuis, quos vocabat contubernales, ac Præfectis exercitus, perdurauit. Sed quorſum tam iugis labor affecti ætate, vulneribus, ac inualetudine, vt in laboribus vrgeret diem nox, & dies noctem, alternâ nullâ refocillante quiete? Nam vigilare leue eſt, peruigilare graue. Et qui in neceſſarijs laboribus verſari volunt, à ſuperuacaneis abſtinent. Neceſſariæ verò Ducis partes nec paruæ ſunt, nec paucæ, ſed tantæ, ac tales, quibus implendis pauci ſufficiunt. BVQVOIVS tamen impiger, ijs non contentus, Tribuni, Præfecti tam vigilum quam annonæ, Menſoris, Metatoris, Fiduciarij, Ingeniatij, Speculatoris, Iaculatoris, & neſcio cuius non, ſubire non ceſſauit officium: & perfunctus omnium vicibus, fuerit ſudum, fuerit dum, ſuſquè deque habuit, ſub tegmine ſolius frondoſi rami, el certè ſub dio, ſuper ſtramen recumbens.

Non ſemper in armis
Bellica turba manet: nec totâ claſſicus horror

Nocte dieque gemit, non ſemper Gnoſſius arcus
Deſtinat, exempto ſed laxat cornua neruo,
Et galeam miles capit, & latus enſe reſoluit.

55 Faciamus tamen generoſi iuuenis animum nutrire labores: ſed ab adoleſcentia qua truci militiæ dedit nomen, ad annum quadrageſimum ſeptimum quem BVQVOIVS iam numerat, non frangi eum laboribus, quibus ſemper incubuit, non facilè credam. Cruditates etenim, ſtomachi faſtidium, defluxiones, febres & aliæ infirmitates ſolitò crebriores, *BVQVOIO* ſi ſapiet, pro me effecerint fidem, non eſſe ab hac ætate quod hactenus potuit facere, exigendum. Quæ à me hic dicuntur, vbi *BVQVOIVS* contra rectè monentes magnos paruoſque (nam omnes fidei Catholicæ ſtudentes reclamabant præcipitanti ſe in pericula, ac in intolerabiles labores) quam debuit ſurdiorem ſe præbuit. Et pauciſſimis comitatus, longius hic ille explorando inſidijs ſe expoſuit. Iſtic, fortalitia inchoantibus dirigendo, ſe vicinis hoſtibus rubra veſte conſpicuum ſcopum præbuit. Illic, tormenta explodentibus inſtruendo, ac de loco in locum iugiter vt omnia faceret, ſciretque, curſitando, continuam hoſtibus metam vltroneam ſe dedit. Denique velociſſimi ſideris more (vt de Troiano Cæſare Plinius ſcripſit) omnia inuiſere, omnia audire, & vndecunque inuocatus ſtatim adeſſe, & aſſiſtere ſolebat. Neque ego repugno, quin id fiat, niſi vbi nulla ſubeundi periculi vtilitas publica, nulla Principis militiæ tum præſentis eſt neceſſitas. Audi ſi velis, *BVQVOIE*, citius inuenitur quam contemnitur periculum, & qui illud amat, in illo peribit.

56 *BAVARICVS* Generalis *Tilius*, ex demiſſiori loco hoſtiles æquare aggeres aggeribus ſperabat. BVQVOIVS verò adhuc ſitu inferior, cum hoc ſperare non poſſet, munitiunculis crebris hoſti, inſultum, vel aquatum, vel pabulatum excurrenti, incommodare contendit. Vterque non ſine aliquo, licet non magno operæpretio, cum hoſtis multo eſſet eminentior, & nos ſibi obnoxios miſſilibus (à quibus tamen haud multi deſiderati) impeteret, à noſtris verò telis attingi vix poſſet. Nonnemo tamen quotidie, vt fors tulit, hinc & indè cadebat.

60 Cum

60 Cum facerent ad impugnandum è loco iniquo hoſtem, boni Generales, quicquid poſſent, tamen non defuerunt imperiti non vulgares, qui facta ſemper voluerunt eſſe infecta, & infecta facta: quique aliorum omnia, ſibi ſoli placentes, liberius carpebant. Sed vice verſa, carpebantur & ipſi ab alijs, dicentibus ex Latino, Græcoque comico.

Homine imperito, nunquam quicquam iniuſtius,
Qui niſi quod ipſe fecit, nihil rectum putat.

Rurſum.

Alium quidem monere homo facilè poteſt,
Sed ipſe non facilè itidem illud fecerit.

57 Non ſum is, qui carêre ſucceſſibus optem eos, qui ab euentu noſtro *Raconitzij* facta putant eſſe notanda. Id tantum volo, neminem rationes ità ſubducere, quin diſcipulus prioris ſit poſterior dies, & res, ac vſus ſemper aliquid adpottent noui: quo aliter, quàm prius decretum fuit, conſtituere poſtmodum oporret. Nos quidem multa ad hoſtem ſuperandum tentauimus, ſed illi non fuerunt ſegnes ſibi præcauendo: quibus eminentior collis, in cuius ſummitate erant, magnum præſtitit auxilium. Caſtra hoſtium etiam munita (inter multa alia id generis præclara) dixerunt illi periti ſcilicet Cenſores, à milite noſtro congrediendi cupido, inuadenda fuiſſe. Itane verò? cum ſemper ſit (inquit poëta) incerti fallax fiducia Martis, & malè cuncta adminiſtret impetus, vbi nulla loci, inſidiarum, vitium hoſtiliũ præceſſit notitia? Egregium ſane conſilium. Ille longè magis peritioribus probatur Exercitus Ductor,

Non qui præcipiti traheret ſimul omnia caſu,
Sed qui maturo vel læta, vel aſpera rerum
Conſilio momenta regens nec triſtibus impar:
Nec pro ſucceſſu tumidus, ſpatiumque morandi,
Vincendique modum mutatis noſſet habenis.

58 Claudianus his verbis mirum in modum applaudit BVQVOIO noſtro: quem Naſicæ nulli trahant ad præcipites caſus, quin morandi ſpatium, vincendique modum, muta-

mutatis habenis retineat. Id fecit omnis prudentior Dux, & in primis *Paulus Æmylius*, qui (Plutarcho teſte) quum per loca prærupta irrupiſſet in Macedoniam, vidiſſetque inſtructam hoſtium aciem, exhortante Naſica, vt protinus inuaderet hoſtem: facerem, inquit, ſi tuæ eſſem ætatis. Sed multarum rerum experientia prohibet, ne ex itinere ſtatim cum inſtructa acie (noſtri hoſtes, quod amplius eſt, vallo firmiſſimo erant defenſi) congrediar. Quod in Cenſores temerarios, qui toto hoc anno in caſtris, nobis obtuderunt aures, & aliorum periculo ipſi tamen ponè Principia ſecuri triumphare optabant, dixiſſe ſufficiat.

59 Primo Nouembris, iactu tormenti iuuenis inſigniſſimus, pariterque Illuſtriſſimus Comes *Marcus Fuggerus* Auguſtanus, cum Ducem BAVARVM, BVQVOIVMQVE Comitem, inter alios multos Heroes proximè obſeruaret, vtrâque tibia delumbatus eſt. Erat ille apprimè modeſtus, ſemper tamen cum primis ad arma promptus (non vidi, ſemel defuiſſe, quoties occaſio poſtularet) ſupra ætatem prudens, & ſupra militem, quod plurimi facio, pius: cuius tam placida fuit mors, vt gratulando infortunium illud ſibi potius quam ijs qui præerant exercitui, obtigiſſe, quaſi lætus animam exhalauerit.

60 Eodem die (ſi rectè memini) egregium facinus ab Italis deſignatum eſt. Adhærebant illi (quod non ego ſolus miratus ſum: cum in vnum ſolum diem vt à proprio Generali abeſſent fuiſſet indultum) exercitui *BAVARICO*, quamdiu *Raconitzij* morati ſumus. Iuxta quos in valle profunda, hoſtes in Sacello eiuſque cœmiterio, muniti, non modo timore vacabant, ſed aliquos improuidorum ſubinde delibabant. Hos Neapolitanis noſtris expugnare diſcupientibus, data eſt opera, aditum illis per tormenta patefacere. Illic apparuit, quod ſæpius à magnis viris audiui, non eſſe arcibus extruendis editiora loca, vt maiores noſtri crediderunt, optatiſſima, quando in planto par eſt commoditas. In ſublimi quidem difficilius expugnantur, ſed minus (ſaluo meliori iudicio) tormentis, de quibus agimus, hoſti nocent. Cum enim plura in ſacellum iſtud (par eſt ratio de cæteris) directa eſſent

tormen-

tormenta, ſolo vno ſupremum tectum fuit pertuſum. Id tamen pugnaci Neapolitanorum audaciæ nihil obfuit. Facta igitur manu, in hoſtes celeri curſu irruunt, & prius cœmiterium, deindè templum, vtrumque muro lapideo firmum, momento expugnant. Qui effugere potuerunt, volucri fuga ſe ad ſuos proripuerunt. Cæteri omnes numero, vt dictum eſt, quinquagenario, partim ſunt cæſi, partim facti captiui.

61 Sic hoſtes Thraſonici, qui ſpargebant, noſtros in ſyluis ſe abdere, & congreſſum ſolicitè vitare: oculis ſuis, vel inuiti viderunt, nec ſyluas, nec ſaxeos muros à noſtris, data confligendi opportunitate, illos potuiſſe liberare. Manu, boni viri, Marteque æquo, non ventoſa lingua pugnemus, vt appareat vtra gens ſit fortior. Sanguine interim hæc victoriola ſtetit præclari *Camilli Cocci*, Tribunicij Fiduciarij (vulgò Sergeant maior) plurimùm deſiderati, nec non *Titi Brancacij*, demptis ſauciatis.

62 Sequentibus diebus præcipuus labor fuit in vallis, prætenturis, loricis excitandis, in tormentis vtrinquè explodendis, in velitationibus magna ex parte inanibus, & in ſtratagematis fruſtra ſuſceptis. Inter quæ illud præcipuum fuit, quo Hungari in ſtatione erant à BVQVOIO trucidandi, niſi interiectæ aquæ profunditas, VVallones infenſos ab ijs prohibuiſſet. Factum tamen eſt tormentis auriuagis, quæ vel audire extimeſcunt, vt remotius migrarent. De quibus tormentis cum loquor, illud ſilendum non videtur, quod toti ferè exercitui peperit maximum riſum. Oenopola quidam villum, vel vinum tenue, auſterumque pretio ingenti, cum alibi nullum eſſet venale, vendebat, & per ſitientium vt emerent confluxum, præcluſus erat ad eum aditus. Sed viam offendit tormentum, cuius vi pertuſo dolio, è galeris, manibus, cantharis, milites ſitim gratis extinxerunt, hoſtique gratias plurimas habuerunt, & riſum Vinario pro pretio ſoluerunt.

63 Non ſola ſtridentium telorum ſibila, noctu, dieque (ſi dies erant cum ibi hæſimus, offuſi nebulis denſiſſimis vix ſoli, nunquam certè ante meridiem, penetrabilibus) ſed volitantia vltro citroque dicteria aures noſtras perpetim circumſonabant. A noſtris illi rebelles, hæretici, ſacrilegi, ruſtici, hiſtrioni-

ſtrioni-

ſtrionici regis cui nihil eſſet, mancipia; foſſores, imbelles, cum ſexcentis ſimilibus, vocabantur. Ab illis noſtri famelici, fuliginoſi (a fumante abietino ligno, quo milites non parum decolorati fuerunt) Papiſtæ, ſylueſtres, prædones, incendiarij nuncupabantur. *BAVARI* inſuper, porcarij (à porcorum, vt opinor in *BAVARIA* multitudine) audiebant. Nec deerant raucisona plura cornua veluti ſubulcorum porcos ad paſcua euocantium. Quibus tamen ſiuè acutis, ſiuè aculeatis dicterijs, nulla militum offenſio, ſed magna concipitur plerumque voluptas, cum par pari referre gaudeant. Sed non magna fuit voluptas iſtius Capitanei *BAVARI*, in nebula à ſuis aberrantis, qui per imprudentiam induit ſe in medios hoſtes, quod vnus fiſtula, more ſubulcorum *BAVARICORVM* caneret, ratus inde eos fuiſſe ſuos. Verum non is ſolus, ſed plures alij vtrinquè, ſpiſſiſſima nebula deluſi, in hoſtium tanquam amicorum caſtra tranſiuerunt.

64 Arguto tandem Mimi reſponſo in caſtris celeberrimo, finiam hanc dicteriorum inter milites pugnam. Eſt luſus non vnicus, luſoriarum chartarum, quo monas, ſeu primus in numeris, ipſum regem ſuperat. Monas autem inter Germanos plurimos, Saw / id eſt Sus, vocatur. Iam verò à ſuo Morione interrogans Sereniſſimus *BAVARVS*, quem tandem finem huius belli ſperaret falsè ſimul, ac facetè dixit, eundem quem in luſu chartarum, quo ſus deuincit Regem. Sues autem, vt iam dixi, ſcommatice *BAVARI* (à quibus, cum Cæſarianis, Rex ſuperatus eſt) nominantur. Dico cum Cæſarianis: quod id citra controuerſiam cognoſcatur, quodque Sereniſſimus *BAVARVS* pro ſua incomparabili modeſtia, aliud eſſe à paraſitis dictum, ægerrimè, vt plurimi referunt, tulerit. Volitant quidem *Pragæ*, ac Mediolani excuſi Italicè libelli, quibus omnis gloria, omnis laus, omnis fortitudo huius belli, Sereniſſimo ſoli *BAVARO*, ac ſolis Neapolitanis, excluſo *BVQVOIO* cum Cæſarianis, nec excluſo tantum, ſed maligniſſimis dentibus ſæpius demorſo, vindicatur. Cum Authore, benigniſſimè expoſtulauit *BVQVOIVS*, eumque infinitorum mendaciorum atrociſſimorum, propalam conuicit: deprecantem

tem tamen reatum, non ex malo, vt aiebat animo, ſed ab ignorantia profectum, impunè abire permiſit. Apud eos qui hominem norunt, nullum eſt periculum ne fidem faciat, veluti palam is, quem perſpicuè

Subſequitur cæcus amor ſui
Attollens vacuum plus nimio gloriâ verticem.

65 Nec Italos falſa gloria vrit, ſed virtute ſuâ compertiſſima, non fautoribus extendere cupiunt famam. Adulatoris fortè famelicus venter expediuit Pſittaco hoc *Salue.* Ego verò neglecto eo, eiuſque ficum ſperantis commentis, vt prorſus non legi, ſed negligi dignis, inoffenſo pede (cum alioqui in homine futiliſſimo, veritatiſque, ac virtutis inimico confutando, ſexcenties hærere oporteret) itineris, progreſſuſque *BVQVOIANI* reſiduum proſequar: In quo BVQVOIVS immunis (cum Diana ſurda à canibus fruſtra allatrata) inuidia ſublimior curſus ſuos peraget, dum malus liuor facta immortalia obtrectat.

66 *Raconitzio* tamen non eſt demigrandum, non laudata vniuerſorum Militum conſtantia. Nec panis, nec potus illis erat vllus, cum ipſæ aquæ *Bohemicæ* ſemper ſint turbidæ, ac inſalubres: ſed ſolis animalium ipſo momento occiſorum carnibus, fumo abietino fœtentibus, conſtabat eorum cibus. Indè noſtris panem hoſtes per irriſionem, quibus illi viciſſim veruecem æque ab eis deſideratum, tranſmiſerunt. Non tamen concuſſa fuit eorum conſtantia, nec audita, vt opinor vllius (ô miraculum!) obmurmuratio: ſed animo æquo, optimo in ærumnis condimento, ſpe pleni manus ſemel cum hoſte conſerendi, victoriæ quam cibi cupidores, BVQVOIO ipſo ſine ſolita quidem lautitia, haud tamen minus quam alios læto, patientiæ exemplum præbente, perſeuerarunt.

Scilicet in vulgus manant exempla regentum,
Vtque Ducum lituos, ſic mores caſtra ſequuntur.

Seu vt alius dixit magis appoſitè, Cogit tantos labores tolerare ſumma virtus Ducis, *qui nuda fuſus arena,*

Excubat, atque omni fortunam prouocat hora.

Omnibus vnus adeſt fatis quocumque vocatus.

Qui cum *Valerio Coruino* dicere potuit: *Facta mea, non dicta, vos milites ſequi volo: nec diſciplinam modo, ſed exemplum à me petere.* De quo non plura.

67 DEVS *Opt. Max.* qui in abyſſo multa conſiliorum ſuorum diſponit omnia ſuauiter, & perducit à fine vſque ad finem fortiter, cum FERDINANDO ſuo dilecto Imperium conferre decreuiſſet, ad maiorem ſuæ potentiæ manifeſtationem permiſit oboriri plurima, & maxima impedimenta. Æmuli *domus Auſtriacæ,* Caluiniſtæ paſſim, Athei, Machiauelliſtæ, Rebelles, Rebus nouis ſtudentes, fremuerunt, & populi meditati ſunt inania. Sed & adſtiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum aduerſus Dominum, & aduerſus FERDINANDVM eius. Sed qui habitat in cœlis irriſit eos, & Dominus ſubſannauit eos. Nam etiamſi conueniſſent ſenſim in vnum eorum omnium conſilia, & deindè non multo tardius conſcriptæ vires, ac terroribus cuncta loca impleuiſſent: etiamſi iam Imperium à *Domo Auſtriaca* transferendum falſo augurio plurimi præſagiſſent: multique *Fridericum Palatinum Rheni, Regem Romanorum* (id vidi in nummo Londini in nuptiarum feſtiuis gaudijs aureo incuſum) ſalutaſſent: Tamen non eſt paſſus DEVS *Babyloniam* hanc inanem, in arenâ fundatam, exſurgere, ſed manifeſtatis ijs, qui in rebus aduerſis probati ſunt, funditus eam deleuit. Inſtinctu ſiquidem ipſius, *Summus Eccleſiæ Paſtor,* Principeſque Chriſtiani, potiſſimum verò *Rex Catholicus,* viribus coniunctis, FERDINANDO pijſſimo, ac potentiſſimo opem opportunam tulerunt. *Eccleſiaſtici* quoquè *Electores* Imperij, & alij Principes, officio ſuo præclarè ſatisfecerunt. Sed inter reliquos Eccleſiaſticos Principes, neſcio an alius ſubſidium illuſtrius (abſit inuidia, cum non errem ex affectu, ſed ſi erratum ſit, ex ſolo intellectu) quàm Illuſtriſſimus *VVirtsburgenſis, ac Bambergenſis Epiſcopus,* ſuppeditauerit. Numerus diceba-

tur

tur octo millium: ſed tam equitum, quàm peditum ita inſtructorum armis, peritia militari (integro anno ab egregijs Capitaneis ingenti ſumptu fecit eos exerceri) alacritate, & firma valetudine, vt firmiſſimum eſſent exercitus *BAVARICI* ornamentum.

68 Cùm in via eſſent illi *VVirtsburgenſis* (ſic hodiè vocantur) in *Bohemiam*, *Don Balthaſar de Marrada y Vique* inclyta iam fama celeberrimus, illis proceſſit obuiam, & liber ab hoſtibus (quos vterque exercitus *Cæſarianus*, ac *BAVARVS*, procul ab eo diſtinebat) quam plurima oppida, ac caſtra, eorum auxilio expugnauit? ita vt iter ex *BAVARIA* in *Bohemiam* eius induſtria, eorumque opera, tutum ferè eſſet, ac expeditum.

69 Nouembris 4. lætum aduenit exercitibus cum magno commeatu omnium neceſſariorum, hoc ſubſidium, ſimulque melius de prælio inſtante (quod vix vlli videbatur euitabile) plurimis meticuloſis præſagium.

70 Eodem deniquè die BVQVOIVS musketi globo in ſecretioribus partibus vulnus ſtrictim accepit. Ille per caſtra diſcurrens, ac ſtationes ſæpius reuiſens, nulliuſque conſilium, vt pro Generalis dignitate tandem caueret, curans, ſed antiquum ſuum in ſpernendis etiam non neceſſarijs periculis obtinens, hoſtibus proximus, familiariter cum militibus colloquens, accepto vulnere, hoc tantum ait; Sum læſus. Deinde innixus neſcio quibus Proceribus (omnes impenſius deſeruire contendebant omnium parenti, patrono, hoſpiti) licet ſanguis vbertim totam viam irrigaret, ad riſum Latinè (linguam Latinam peritè, Gallicam verò, Hiſpanicam, Italicam diſertè nouit, non ignarus Flandricæ, nequè Germanicæ) ait: per quę quis peccat, per eadem punitur. Tubicini quoquè Comitis *Mansfeldij* qui fortè intererat ſubridendo ait, dic tuo Domino, non mihi, ſed ipſi magis venereo, tale vulnus fuiſſe debitum. Cum vidiſſet ſuum *P. Henricum Fitzſimon* Societatis IESV propè exanimem, (& quis non erat non modo in *Caſareo*, ſed etiam in *BAVARICO* exercitu, in quo dixerunt multi minimè vulgares, Principem militiæ parem iam nullum eſſe) bono eſſe animo iuſſit, & non obiurgare fatentem reum. Sibi

id meritò contigiſſe, in feſto *S. Caroli*, quia *Miſſæ* non interfuiſſet: interim laus DEO abeſſe omne periculum. Delatus verò in proximum pagum, non hoſpitium ſuum prius adijt, quam Principem *Liechtenſtain* amicitiæ ergò dolorem ſuum, alterius ex viſitatione conſolationi poſtponens, inuiſit. Tum ſingulos quid facto opus eſſet in exercitu admonuit, vulnuſque ſuum denuò curari voluit. Vbi vulnus non eſſe lethale compertum fuit, omnium vultus lætiores apparuerunt, omnes ſibi gaudebant, vniuerſi inuicem congratulabantur.

71 Die quinto Nouembris, *Raconitzio*, cum hoſtes elicere in pugnam nulla ſpes ſupereſſet, receſſimus. Commodiſſima aciem noſtram poſteriorem delumbandi oblata eſt hoſtibus opportunitas, cum perdifficilis eſſet cæteris aciebus ad opem ferendam regreſſus. Sed nulla noſtrorum manus infirma illis eſt viſa. Emiſſarij quidem aliquot non ſemel ſunt inſecuti, ſed ſimul ac à Wallonibus qui poſtremi receſſerunt, ſunt viſi, in fugam idque ſemel atque iterum, fuerunt retroacti. Spe tamen in tanta occaſione conflictus freti, non modò Collonelli noſtri, Collonellorum Vicarij, ac Capitanei, cum flore exercitus, poſteriora agmina claudebant, ſed Aulici Nobiles ſpontanei, auſu prorſus præclaro, hoſtium impreſſionem non extimebant. Ita verò lento gradu, acie tamen egregiè ordinata receſſum eſt, vt nihil ad hoſtes irritandos in pugnam poſſet eſſe efficacius, nihil ad ſpeciem, affulgente ſole aduerſo in armorum fulgorem, vexillorumque ventilationem, poſſet eſſe delectabilius, nihil ad retundendos hoſtes firmius. Nunc ergò *Bragam* noſtri properant: quid verò ab hoſtibus factum ſit, ex eorummet ſcriptis interceptis, ſatiſque veritati conſonis, quæque in manibus meis ſunt, & magni à maximis fiunt, habetote.

RELA-

‹R›ELATIONIS HO‹S›TIVM INTERCEPTÆ, PRIMA ‹P›ARS: DE RECESSV, ITINERE SVO, AC NOSTRO, PRAGAM VSQVE, NVLlo omiſſo, aut mutato verbo.

72 *Raconitzio, Nouembris quinto, Imperiali, ac* BAVARICO *exercitu demigrante, ſubijt in Anhaltini mentem, iter Pragam ab illis eſſe ſuſceptum. Timens verò ab incommodo, ſi ſuum exercitum anteuerterent: Comitem della Turn cum* 12 *peditum.* (1.) *ſignis, ac nonnullo equitatu, ad Pragenſem vrbem minorem, vnà cum Rechin praeoccupandam, data fide, nocturnis diurniſq; celerrimis itineribus ſe ſubuẽturum, præmiſit. Die ſequenti, cum ſuo exercitu per vias* (2.) *difficillimas traxit tormẽta, quæ illi inuitiſſimo, quicquid ageret, vnius diei iniecerunt moram: alioquin tempori Pragam veniſſet, vt vallo ac foſsâ exercitum præmuniret.*

‹1.› Trecenti ‹i›tem cuiq; ‹sig›no Germa‹no›rum aſſi‹gn›adi ſunt.
‹2.› Noſtri per ‹v›iam Regiã ‹pr›ocedebant, ‹d›elicta hoſti‹b›us via aſpe‹r›iori.

73 *Nouembris ſeptimo, die Sabbathi Anhorſti defeſſis militibus indulſit aliquantulam quietem, cum tormenta ſegnius ſequerentur; latus ipſe, hoſtes ſyluam nondum ſuperaſſe. Indè Rex* (3.) *Pragam prauolauit, quem Anhaltinus enixè rogauit, vt ad excitanda in tempore valla ſupra VVeiſſenberg, curaret affatim lignorum, ſicut etiam Comiti della Turn prius fieri, & etiam manus ad opus inchoandum repentè apponi* (4.) *mandauit. Sed obedientia Bohemica, tum, & ſemper, nulla fuit. Hinc noſtra ruina.*

‹3.› Nempè hi‹s› ‹...›rionibus.
‹4.› Vallis mul‹t›um, valori ‹...›orum pa‹...›um, fidere ‹...›viſi ſunt.

74 *Poſt Regis abitum, hoſtium aliquot viſi ſunt, quæ cauſa fuit, vt cùm primis tenebris* (5. *abire vias noſtras decreuerimus. Ne verò impedimenta noſtra iter retardarent, iuſſit Anhaltinus Berauñũ, quantum adhuc citra montem eſſet, reuehi. Tenebris*

‹5.› Quã prom‹p›ti ad fugã, qui fugatores haberi voluerunt.

6. An valdè ortis, in aciem inſtructiſſimam, (quo vix viſa aliqua peritè fuga- magis ex medulla militaris diſciplina) exercitum di- ciſſima Hun- ſtribuit. Pedites erant medij, & à dextris omnis equi- garorum gens tatus Germanicus, omneſq; Hungari (6) à ſiniſtris, hoſtili exer ſine minimâ perturbatione, per æquales campos, lunà citui proximè delectabiliter ſplendente. obiecta?

HÆC IPSI IN PRIMA
SVÆ RELATIONIS PARTE.

75 Nunc ad noſtros redeamus, donec eos ad locum vbi prælium eſt commiſſum, auſpicato perducamus.

76 Vterque noſtrorum exercitus, quinto & ſexto die Nouembris properans *Pragam* verſus, de hoſte denſiſſimis ſyluis, montibuſq; præruptiſſimis diſſito, intelligere nihil potuit. Multi quidem qui explorarent emiſſi, qui etiam quoad licuit ſunt progreſſi, ſed nec hoſtium vllum intercipere, nec veſtigium vllius cernere valuerunt. Quo tempore *BVQVOY* illa verba audiui auribus meis: ſi in illos poſſet in loco quocunque prorſus non iniquo incidere, ſe, per fidem ſuam, cum illis congreſſurum. Adeò hoſtium ac noſtra propoſita, diſſidebant; terrore maximo vitantibus illis vt ſuperius fatentur pugnam, nobis verò eam audacter etiam in loco tantum non iniquiſſimo expetentibus. Et certè illud robur animi in BVQVOIO, inter aſperrima vulneris tormenta, tam ex aſſeuerandi modo, quam vultus fiducia, è ſurſum (mihi præcipuè FERDINANDI precibus, plurimum ſemper tribuenti) viſum eſt deſcendiſſe.

77 Septimo die ſub veſperam hoſtem vidimus. A velitibus prioribus aliquantulum præluſum eſt, ſed nullo commodo, aut incommodo. In primis tenebris plurimos incéderunt, ad quos videbantur ea nocte permanſuri, ignes: quibus tamen accenſis, ſurripuerunt ſe occulta fuga verſus *Pragam*.

78 Eſt

78 Eſt in exercitu noſtro de gente bellicoſa *Burgundorum* veteranus, ſtrenuus, fœlixque equitum Collonellus, ac Dominus de *Marchau, Gaucherius*; nomine, factiſque, ſupra 30. annos vbiquè notiſſimus. In rebus maximè arduis, eo potiſſimum *BVQVOIVS* vtitur. Nunc autem ei mandauit, vt proximè caſtra hoſtium exploraret, ſibique quid fieret quam citiſſimè poſſet, per aliquem ſuorum renunciaret. Impauidus ille prouinciam adijt, ac expleuit, adducto ſecum vno captiuo. Cognita vero hoſtium fuga, *Gaucherio* quieſce pauliſper, inquit Bvqvoivs, deindè cum ſexcentis equitibus, cunctiſque Polonis, & Wallonum (hos hab[illegible]pericula promptiſſimos) quingentis musketarijs, quær[illegible]ei benè in Hungaros gerendæ (quam belligerandi rudes facilè præbebunt,) occaſionem; ita tamen, vt in diſcrimen ancipitis pugnæ, te, aut tuos non conijcias, me prius non conſulto.

79 *Stratzitium*, tertio à *Pragâ* magno milliari, eodem die Sabbathi, Nouembris 7. hora nona veſpertina, vix ſe Bvqvoivs appullerat, cum ad exercitus totius diſpoſitionem, ad primam illius diei refectionem capiendam, ad vulnus ſuum accommodandum, & quieſcendum vix, aut ne vix quidem, tres horæ ſupereſſent. Nam media nocte inſequi hoſtem condictum fuit.

80 In porta hypocauſti, in quo Bvqvoivs iacebat, ſcriptum vidimus chronographicè:

frIDerICVs reX boIheMIæ.

Rurſum:

frIDerICVs IMperator VIVat.

81 Id cum *Candidus Eblanius* narraſſet *BVQVOIO*: tibi verò, inquit, quid videtur? *Candidus* infit Candidè; verius chronicon videri ſibi vtrumque iſtorum:

CoMes fVIſtI non reX, ſeD Inſanè aſpIraſtI.
CIto neC reX, neC CoMes erIs, qVIa CæſarI re-
(beLLaſtI.

82 Quibus certè vt vidimus, euentus egregiè aſtipulatur: cum regno illum BVQVOIVS, Comitatu Magnus SPINVLA, Sed & Electoratu potentiſſimus *Cæſar* ſpoliauerit.

83 At pauliſper quieſcat *BVQVOIVS*, & iam comitemur *Gaucherium* cum ſuis (ad quos Aulici noſtri animoſiores ſe adiunxerunt) more ſuo conſuetò ſtrenuè ſe gerentem. Olim quidem à Comico dictum: Inimici famam non ita, vt nata eſt, ferunt. At *Gaucherio* in hac expeditione, quantum ſatis eſt, inimici attribuunt. Sed ſuis verbis audiendi ſunt.

SECVNDA PARS
RELATIONIS HOSTIVM: DE NOSTRORVM IN EOS INCVRSV.

84 *Hungari (inquiunt) noſtri nullis parêbant imperatis, maximè tum ægrotante Bornemiſſa* eorum Collonello Pragæ. *Atque adeò cum reliqui ſimul in excubijs cohærerent, illi ad vicinum à dextris pagum digreſſi, cubitum, multi depoſitis veſtibus, vigilijs omnibus omiſſis, ſe contulerunt. Id hoſtes* (1.) *in omnes occaſiones nobis inſidiantes conſpicati, impetum in eos fecerunt, aliquot* (2.) *paucos occiderunt, ſed multos* (3.) *equos abduxerunt. Sex millia erant Hungarorum, qui effuſa ruentes fuga in aciei ordines, plurimos perturbarunt. Quibus ſi hoſtes acriter* (4.) *inſtitiſſent, peditatum illum planè vt opinor diſſipaſſent. At explorant* (*vt eſt ſis ducentis plus minus* (5.) *ſclopetulis, receptui ilicò cecinerunt.*

1. *De* Gaucherio *ſu iſq; loquitur.*
2. Gaucherius *putat fuiſſe quingentos.*
3. *Mille abducti dicebātur equi.*
4. *Vetiti editatum illum planè vt opinor diſſipaſſent. At explorant* superius dictum) progredi.
5. *Musketarij tenebris deuiarunt.*

HÆC

ÆC ILLI, AD INGENTEM GAVCHERII GLORIAM: NAM DE EO HÆC NARRANTVR.

Qui multò plura in hoſtem deſignaſſet, ſi à ſuo poſte-
:i agmine, tenebris deuiante, deſertus non fuiſſet. E ſex-
tis etiam è *BAVARICO* exercitu, qui ei ſub *Crats* (fortè
tzio, qui à *Panegyrico* Monachienſi laudatur) Collonello
ungebantur, orta de primatu æmulatione, quadringenti
m reuerſi ſunt, relictis ſolum ducentis, quibus *Niuenhaim*
:ecollonellus præfuit: qui inſignem, vt *Gaucherius* libenter
ɩoſcit, opem, ac operam præſtiterunt. In hac vero expedi-
ne, omnibus *Gaucherianis* leonino impetu in hoſtes quos
:qui poſſent (Hungari ad fugam ſunt prompti, & in ea præ-
ites) irruentibus, inter primos, Baro *Peterſem* Leodius, mo-
uo perpetuo (vt ex ore *Gaucherij* ipſius accepi) infeſtus Hũ-
is fuit, præcipuumque eorum manu propria interfecit. Ma-
ɩnimus certè, & impiger ad pugnam ab omnibus agnoſce-
ur: quem in *Pragenſi* hodierno prælio occubuiſſe dolen-
n fuiſſet, niſi cautæ FERDINANDI bonitas, morien-
us gloriam, dolorique modum poſuiſſet. Hac vero impro-
ı in hoſtes impreſſione, ſaltem ducenti Hungari (quingen-
aliqui retulerunt) deleti fuerunt: captus vero nullus, non
nus ob Hungarorum prælibatam in Wallones, ac Italos
delitatẽ, quàm quia capiendi illo die noſtris militibus ſoli
iores viderentur. At equi capti circiter mille. Sed in eo ſtetit
atagematis potiſſimum pretium, quod territi ipſi Hunga-
terrorem toti hoſtili exercitui, à quo deindè liberari non
tuit, & quo in fugam celeriorem ſe coniecit, vna cum agni-
ıb ipſis aduerſarijs ordinũ perturbatione, iniecissent. Hoc
m non ſolum initium, vt dixi, ſed pignus, ac arrha totius
toriæ fuit. Polonos quoque ſuo munere egregiè fuiſſe in
c Stratagemate perfunctos, prolixè idẽ *Gaucherius* mihi eſt

 teſtatus:

teſtatus. De quibus Polonis data agendi occaſione, ecce quos ipſi in Libello ſuo ſupplici ad S. C. Maieſtatem, vel mutilatos, vel grauiori vulnere ſauciatos tempore toto quo militarunt Cæſari, recenſuerunt. *Stanislaum Labodouusky*, & *Petrum Iakuszouusky*, Capitaneos: Deinde *Benedictum Botyansky*, vexilli nigri, *Piotraſzouusky*, vexilli rubri, *Skorulsky* ſub Capitaneo *Lagieuuniczky*. *Patzynam* ſub Capitaneo *Iakuszouusky*, Locumtenentes: Deinde Nobiles *Kraninsky*, *Parnicky*, *Kamodzinsky*, *Matuuiansky*, *Iaporsky*, *Polixam*, *Rymeuuicky*. Non ita grauiter vulneratorum, & mortuorum, longè maiorem eſſe numerum affirmarunt. Quibus ab *Imperatore* munifico datum eſt Liberale donatiuum, quo eorum animos mirificè ſibi conciliauit.

86 Inter alia quæ *Gaucherius* illa nocte fœliciter perpetrauit, pagum benè magnum in quo deprehenſi erant Hungari, incendit: cuius micantis flammæ coruſco lumine, volucrem hoſtium fugam perſpicuè erat videre. Sed omiſſis aliquantiſper hoſtibus: vtrumque exercitum noſtrum reuiſere non grauemur.

87 Nihil conſultius fuit ab exercituum Imperatoribus ordinatum, quam vt vniuerſa impedimenta *Stratzitij* perſiſterent, quo exercitus vterque expeditior, aſſequi poſſet hoſtes adhuc aggeribus à ſe non diſcluſos. Curuum verò numero propè innumero factum eſt, vt *Cæſariani* qui priores, ordine ſuo, tum eſſe debebant, negato per impedimenta tranſitu, fierent poſteriores.

88 *BAVARVS* in puncto mediæ noctis ſuo exercitui adiungit ſe, & ſuo ſimul atque via data eſt BVQVOIVS. Egregio ordine procedunt tota nocte, & ſummo mane audiunt ſtratagema *Gaucherij*. Laudes dicunt omnes DEO, deindè BVQVOIO, cuius auſpicijs ac directione ſtratagema erat editum Virtutes Imperatorias recenſet Orator: Laborem in negotijs, fortitudinem in periculis, induſtriam in agendo, celeritatem in conficiendo, & conſilium in prouidendo: Hoc verò bono principio (ſubſequentis facti dimidio) egregia induſtria in agendo, celeritas in conficiendo, & conſilium in prouidendo, luculenter apparuerunt. Sed hos exercitus tantiſper mittamus progredietes, & quid fiat ab hoſtibus, ex tertia parte *Relationis* eorum diſcamus.

TER-

TERTIA PARS RE-
LATIONIS HOSTIVM: DE PVGNÆ LOCO ET FORMA ACIEI.

9 *Anhaltinus, inquiunt, primo mane luſtrauit loci commoditates, elegitque in montis Albi, ſeu VVeiſſenberg ſummitate iuxta ſaltum, pugnandi tutiſſimum locum. Vetuit ne vllus Præfectorum à ſuis abeſſet cohortibus, neue porta Pragenſes vlli parerent, niſi ſua manu propria aliud ſignificaret. Sed debita deſiderabatur obedientia. Tunc aciem inſtruxit in formam arcus tenſi, à duplici neruo paralellico, ſeu æqualiter diſtante: eiectis à tergo Hungaris, copias reliquas inſtar arci dictos neruos, cum interiecto ſpatio concludentibus.*

0 *Ante omnes in meditullio copiarum, longa diſtantia præuntura erant ex ſex turmis equitum, ſub Vicario Collonello* Streuſſo. *Sex aliæ à ſiniſtris ſub* Sbubnau *Collonello obliquè ordines modica diſtantia præcedebant ad ſupplementum. Tunc in longum erant alternantes, 5. peditum cohortes ac turmæ 5. equitum, ad lineam directæ, & non magna diſtantia, pari modo totidem. Pedites quidem ſub Iuuene Comite de Turn, Comite* Schlick, *Comite* Holck, *& Collonello* Caoliro, *numero triginta ſeptem cohortium. In altu mœnibus incincto erat legio tota* Anhaltini *ipſius, ac* Saxoniæ Ducis, Ioannis Erneſti de Weinmar, *& cohors prætoria regiorum ſatellitum. Equitum verò erant 54. turmæ, ſub Iuuene Principe* Anhaltino, *Comite* Hollack, *Comite* Sririni, *Collonello* Rubenuol, Carnits, Iannecks, *Vicario Collonello* Streuff, Hauſfirick, Iſelſtain, Borſeda, Kaim. Hungari *verò erant, qui ſtipendium recipiebant, demptis aſſeclis ſex millia; ſub Generali* Bornamiſa, *& Coll.* Cokars Iſtuan, Fekete, Peter, Ckouſi, Monqui, *& Capitaneo* Hornat Ianucki; *qui duo poſtremi valdè erant ſtrenui. Plena legio tribus, Cohors trecentis, & turma ducentis conſtat: ſed paucæ erant completæ. Nam alioquin rationibus ſubductis, debuiſſent circiter eſſe peditum* 18000. *&* 10000. *equitum, præter ſex millia Hungarorum, cum tamen in prælio non eſſent omnes ſi-*

mul vix viginti millia. A dextris inſuper, in lorica nondum omnino perfecta, erant tria tormenta non procul à prætenturis: & à ſiniſtris prope aciem, item tria, in binis loricis inchoatis. Aliæ verò loricæ vix erant incepta, cum nos adorti ſunt hoſtes. Hæc illi verbatim.

AVTHOR.

91 His nolo refragari, cum veritati ferè omnia conſentiant. Tantum in numero, quem captiui omnes, viginti quinque millium agnoſcunt; & in forma aciei in longitudinem proiectæ, adeoque rarioris, vincique facilioris, difficultatem reperio; vtrum ea eſſet conueniens forma in æqualem exercitum, propè quadratum; forma priſcis, ac modernis maximè probata. *Vna,* inquit *Vegetius*, *depugnatio eſt quadrato exercitu: ſicut etiam nunc, & propè ſemper ſolet prælium fieri.* Nec ſolum hanc formam præ cæteris probarunt *Romani*, ſed prælongam formam perruptu facilem damnarunt. Porrectæ in longitudinem aciei, ait *Liuius*, *clamantibus Tribunis*, *nihil introrſus roboris, ac virium eſſe, & quacunque impetum feciſſent hoſtes, perrupturos. Anhaltinus* tamen ſuas ſine dubio habuit rationes, licet mihi inexploratas.

Nunc ad noſtros binos exercitus regredior.

92 Montem *VVeiſſenberg*, priores noſtrorum ſubituri iam ſunt: ſed montem ob oculos omnium ponere prius oportet. Mons eſt non ex ſublimioribus, nec rigidioribus, ſed tamen confragoſus, nunc grumis tumidior, nunc foueis ac ſinubus præruptior, nuſquam non glareoſus. Diuexus eſt antrorſum *Pragam* vſque; retrorſum verò, quò nos veniebamus, in ponticulum, non niſi ſeorſim vni, vel alteri tranſibilem. Ab vna tamen & altera pontis parte paluſtri, tranſitum inuenerunt ſigillatim qui equos habebant meliores. Vltra ſupercilium montis, à ſiniſtris Regium eſt palatium *Stellatum* (*à ſtella* in cuius formam eſt extructum, nomen trahens) in ſaltu mœnibus obſepto incluſum. Ab vtroque montis latere eſt pagus.

93 Vnum plus minus in longitudine germanicum milliare,

are, mons totus continet. In dorſo, ſeu pone montis iugum, quædam eſt planities modicè propendens verſus *Pragam*, in qua hoſtium acies, quæ à nobis videri non potuit, & de ſublimi nobis impendit, instructa conſedit. A dextris (ob quam cauſam plures loricas pluresque vires interpoſuerunt) acclivior erat ad hoſtes aſcenſio: à ſiniſtris verò, ſcandendum potius erat, quam aſcendendum. Ad pedem, ſeu radicem montis propè ponticulum, ipſo tubere, ac inequalitate repentè inſurgentis montis, ferè à tormentis protegebantur qui latere voluerunt. In alias pleraſque montis partes liber erat è ſummitate deſpectus, & in deſtinatos collimatio. Sed pauci fuiſſe videntur qui in noſtros iaculatum prodierunt, nè & ipſi noſtris, in montis magnam partem iam progreſſis, meta fierent.

94 Hic omittere non poſſum, quin me ipſum alioſque *Naſſicas* (de quibus ſuperius) temeritatis incuſem, qui *Paulis Æmilijs*, id eſt, expertis belli Ducibus, ſcientibus pro ſpatio morandi, vincendique modò mutare benè agendi habenas, impulſores eſſe voluimus, vt in hoſtem ſtatim vitum ſe præcipitent. Cum enim *Tilio* BAVARICI exercitus Generali importuni cæco zelo fuiſſemus, vt montem ſubiret antequam medius exercitus ad ſubſidium peruenire potuiſſet: nihil proprius fuit, quàm vt eum, qui alioqui malè ſuadentibus ſurdus eſſe ſolet, & nos ipſos, hoſti victimam vltroneam faceremus. Primus nos diſcriminis tanti monuit, *Eduardus Giraldinus*, nobiliſſimus Ibernus, vicarius Collonellus, Sereniſſimo BAVARO Conſiliarius bellicus, eiuſque ad BVQVOIVM creberrimus Internuncius, veteranus, ac *Oſtendæ* celebris miles, hodie Gubernator Vdenheimenſis pro Spirenti Epiſcopo. Hic inquam docuit nos in tanto periculo verſari, è quo vix erat regreſſus. Et certè ita erat, ſi DEVS mentem perduellibus non abſtuliſſet, caliginemque non offudiſſet, vt ruerent ſuas furenter in clades, quas alioquin euitare facilè potuiſſent. *Anhaltinus* ſiquidem, pro rara ſua peritia bellica, prædam ſibi oblatam iam penè faucibus deuorans, in nos copias ſuas vniuerſas effundere voluit. Sed *Holochius*, vt captiui omnes confirmarunt, & *Relationis* hoſtium tacito eius nomine,

nomine, quæ ſequitur quarta pars indicat, magno noſtro bono, ne iuſto prælio occaſio daretur (ita à congreſſu erant Piſandri noſtri alieni) opportunè interceſſit. Sinamus *Cononi*, qui illud intelligit, bellum curæ eſſe: nos verò rerum iſtarum imperiti, rerum noſtrarum ſatagamus.

95 *BVQVOIVS* quoque, (quem iam ad pedem montis iuxtà ponticulum habemus) aduertens exercitus *BAVARICI* imminens non ſine indignatione periculum: ſuos, vt ſe ad dexteram celerrimè aggregarent, atque in aciem præſcriptam conijcerent ſolicitè mandauit. Nunc ergò acies noſtra in momento inſtructa putanda eſt, ſed longè diuerſa ab hoſtium, quam paulò ſuperius vidimus forma. Eam quoque pro modulo meo, ſi prius quid fieret à noſtris ſtrictim retulero, craſſiſſimo licet penicillo, delineabo.

96 Dux *BAVARVS* inſeparabiliter adſtabat *BVQVOIO*, in rheda ob vulnus ſedenti, idque ad pedem noſtri montis. Videbantur eſſe in tuto, minimum tamen abfuit, quin globo tormentario per gradarios deſultus in eos magis deuoluto, quam contorto, non ſine ingenti damno orbis Chriſtiani opprimerentur.

97 *Eccleſiaſtici* caſtrenſes dabant aures confitentibus plurimis, præcipuè vero *Patres Societatis Ieſu*, nullis laboribus amore proximi, aut periculis parcentes. Quorum in hoc anno 1620. in ſolo *BAVARICO* Exercitu, ſaltem octo, vel nouem caſtrenſibus incommodis, & ægrotantium cura, præmatura morte abrepti ſunt. Milites non pauci fortiſſimorum legebant roſaria, imaginem *Crucifixi* deoſculabantur, poſtea cibo vires reficiebant, ſeſe deindè optima fiducia, ac alacritate armabant. Poſcebant pugnam, vt ſignum daretur efflagitabant.

98 Hic vel in malam crucem faceſſant è caſtris ſemiathei quibus (vt *Poeta* loquitur) curuæ ſunt mentes, & cœleſtium inanes, qui congreſſuros cum hoſte diuinam inuocando opem, inſimulant timoris. Qui que dicere non horreſcunt: dextra noſtra fecit virtutem, dextra noſtra exaltauit nos. Ethnicis ipſis, *Tullo*, *Fabio*, *Manlio*, alijſque numen aliquod credentibus, tales fatui, non fortes viri viſi fuiſſent. Væ Chriſtiano,

o,ſi in fortitudine ſua roborabitur vir. Semper ergo dicat: *tia fortitudo mea & Laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſa-tem.* Quod ſi ſemper id dicendum, certè tum maximè, cum rociſſimis noſtrorum militum ſceleribus, metuenda fuit Di-ina ira. Nam militum peccatis barbari fortes fiunt, optimo-imque Principum ſæpiſſimè ſuperantur exercitus.

9 Iam aciem non quæ ex condicto ordinanda ex vtro-ue exercitu fuit, ſi campus fuiſſet ſufficiens, ſed quem angu-iæ loci arctabant, (omiſſo BAVARICO exercitu, cuius leam ſoli ſibi *Tilius* voluit notam eſſe) quem BVQVOIVS romptior ad formas exercituum pro occaſione innouandas, uam multi ad cothurnos tranſponendos, in ipſa arena exco-itauit, hic ſtrictim ſubijciam.

90 Acies *Cæſareana* triplex erat: Prima, Media, Poſtre-ia. In prima erant binæ peditum, numero circiter (ſi omnes dfuiſſent) ſex millium, phalanges; Binis musketariorum ornibus antrorſum ac retrorſum (quorum ſingula, fronte uinaria ordinibuſque viginti centum circiter recenſebant) ominentibus. Singulæ item tripartitis equitum alis parum ifra medium, ex mille fortè quingentis equitibus, erant ſuf-ltæ. Quæ tamen dextræ phalangis erant ſiniſtræ alæ, pha-ngis ſiniſtræ alas dextras efficiebant. Omnes acies, phalan-es, & alæ, diſtantiam præſcriptam accuratè obſeruabant, qua d vim inferendam, & illatam repellendam, nulla potuit eſſe portunior.

91 Media acies ex ſolis tribus millibus Neapolitanis renuiſſimis, equitumque alis binis conſtabat.

92 Poſtrema acies par erat in forma priori, niſi quod ngulæ phalanges ſingulas haberent tantum alas exteriores. nter vtramque tamen phalangem, Poloni omnes ſimul non hil retrorſum, collocati erant. Vniuerſi ſimul non attinge-ant millia duodecim: abſentibus amplius equitum millibus uobus, & millibus ſex peditum: partim in expeditionibus um Don *Balthaſar*, & D. *VValſtain*: partim panis quærendi auſa palantibus. A ſiniſtris Imperialium, exercitus BAVA-ICVS, ſuum quem (vt dixi) neſcire debui, ordinem te-bat.

192 Ante.

102 Anterioris aciei dextra phalanx obtigit Wallonibus (Præfecto caſtrorum, Don *Gulielmo Verdugo*, & Domino *de Hainin*, ſtrenuiſſimo, vigilantiſſimo, ac probiſſimo *BVQVOY* Vicario) militantibus. *Verduuorum* olim in *Lombardia Verdugis* cognomen erat. Sed cum eſſet ex ijs aliquis ante plura ſæcula Mauromaſtix, ſeu flagellum infidelium, eos *Verdugos*, ſeu carnifices, maxima cognomenti, quod etiam ideò multis ſæculis retinent, gloria, ac commendatione, nuncuparunt. Et hic noſter *Verdugo* Caluinomaſtix in hoc prælio, vt ſtatim dicemus, fuit.

103 In ala phalangis dextra, erat *Gaucherius* ille, de quo ſuperius; ac turmæ aliquot *VValſtain* ſub Vicario Collonello *la Motte*, veterano, forti, pio, ac ſub *Torquato Comite*, altero Vicario Collonello illuſtri. In eiuſdẽ ſiniſtra, equites de la *Croix*, & *Montecuculi*, erant.

104 In ſiniſtra phalange, legio erat etiam duplex; *Preineri* & *Teuffenbachij*: quibus alam ſiniſtram addebant *Don Balthezariani* ſub Vicecollonello *Philippo de Areycaga y Auendaino*, Hiſpani pectoris, & vero Biſcaini, vt ſtatim videbimus, Heroe.

105 In media acie *Neapolitanorum* ſub Præfecto Caſtrorũ *Carolo Spinello*, de quo ſuperius, alæ erant ex equitatu *Damperij*, & *Lebel*.

106 In poſtremæ aciei phalange dextra, ex legionibus *Ducis Saxoniæ*, & Comitis *Naſſau*, ala erat rurſum ex equitatu *Damperij*: & in phalange ſiniſtra (ex legione *Fuggeri*, & quatro-cohorranis) ala conſtabat ex equitibus *Florentianis*.

107 In aciem noſtram, modo quo recenſui, inſtructam, hoſtilia fulminabant tormenta, multo maiore terrore, quam damno. Non enim, vt ſuperius dixi, ità nocent è ſublimi, vt ex æquali, vel demiſſo loco, ſed immanis vis impreſſa attollens ſe, tranſuolat quicquid humilius eſt in propinquo, & in altiora remotius (intra ſphæram tamen actiuitatis) exitiabile telum defert. Aliqui tamen fuerunt læſi, & in primis *Fourdin* egregius, ac magnanimus Capitaneus, abraſa tota carne à pectoris prope medio ad humerum, brachio quoque ad os nudato: qui tamen hodiè ſanus eſt, & ſoſpes. Noſtra quoquè tormenta

menta à dextris, ſolo terrore ſiniſtrum hoſtium cornu ſpoliarunt mille & quingentis Hungaris, ne quidem ſtrepitum tormentorum patienter ferentibus, vt Relationis hoſtilis 4. pars refert, quam iam inſeram, dum interea acciti caſtrorum Præfecti, audituri quod in primis optabant, ad *BVQVOIVM* progrediuntur.

RELATIONIS HOSTILIS QVARTA PARS: DE SENTENTIARVM DISCORDIA, INOBEDIENTIA, AC TERRORE inter ſuos.

108 *Anhaltinus, inquiunt, viſis ſeparatim à cæteris aliquot legionibus, eas omninò ſuccidere optauit, ſed obſtiterunt alij aſſerẽtes ſubſidio reliquos repentè ad futuros, & (1.) præliũ indè originem habiturum. Rurſum videns exercitum Cæſareanum valentiorem à ſua dextra: ad ſubſidium ſuarum copiarum oppoſitarum, 1500. Hungaros deſtinare voluit. Sed illi hoſtilibus tormentorum telis in illam partem emiſſis territi, quantumcunque iuſſi, minimè (2.) obtemperarunt. Multorum ſententiæ diſcrepantes tum audiebantur: de prælio non futuro, vel certè eo die non futuro, & è contra. De ſolo BVQVOIO an adeſſet anxius videbatur Anhaltinus, neque id ſemel ore agnouit. Cum tamen præter opinionem videret, aduerſarios præ ſe ferre congrediendi deſiderium, commendata ſiniſtra parte Holochio, voluit dextræ ipſemet præeſſe.*

1. Quam auidi fuerunt præliandi?

2. Habent illam gratiam.

3. Ita mihi retulit qui interfuit cũ diceretur, hoſtiũ Capitaneus.

HÆC ILLI.

109 Nunc ad prætorium pedemontanum vbi exercituum Imperatores, in media Præfectorum omnium Caſtrenſium corona, agebant, audituri quid dicatur, abeamus.

110 Mode

Digitized by Google

110 Modeſtiæ, & humilitatis pugna fuit inter *BAVARVM*, ac *BVQVOIVM*, vter verba eſſet Caſtrorum Præfectis facturus. Vterque multa contra ſe, &pro altero vt prouinciam ſuſciperet, in medium attulit. Ille de re militari *BVQVOIO*, Hic de ſumma negotij *BAVARO* dicendum, ac definiendum, contendit. Ille Adiutoris non Ductoris, Hic maiori obſequentis, non præcipientis, ſuum eſſe officium aſſeruit. Sed poſt ancipitem diſceptationem dicendi onus, volenti, nolenti tandem *BVQVOIO* incubuit. Sic ergò ille, refundens in *BAVARVM* a ſe ſuſceptam dicendi prouinciam, exorſus eſt.

Oratio BVQVOY, inſtante prælio Pragenſi.

111 *Sereniſſimus Dux BAVARIÆ conuocari veſtras Dominationes fecit, vt de hac congrediendi occaſione, quid ſentiatis intelligat. Sententiæ ſine dubio veſtræ erunt in bonum Religionis, Imperij, & Auguſtiſſimæ domus Auſtriacæ. Vnum eſt præſupponendum prælium eſſe exercituum munus ſupremum, proindeq; nonniſi debitis circumſtantijs ſubeundum. Nunc verò, per inconſiderationem, præter ordinem à me præſcriptum, in tantas anguſtias perducti ſumus, vt prima aciei noſtræ forma effecta ſit irrita, & nos hoſtibus ita obnoxij ſimus, vt ferè neceſſe ſit manus cum illis conſerere ſuo arbitrio; non viſis ratione montis, quibus loricis, aut munitionibus, quibuſve copijs, aut quo ordine ſint muniti. Vnde factum eſt, vt quicquid virtute milites noſtri hoſtibus præſtent, tantum loci iniquitate hoſtibus accedat. Dicant ergò Dominationes veſtræ ſuam quiſque ſententiam. Quod ad meam attinet, ita iudico: mutata prima forma, pugnandum eſſe cum quatuor phalangibus, binis Imperialium, & binis ſuæ Celſitudinis militum: idque magis ad dextram, vt inimici ex improuiſo aciem quoque ſuam redigere in nouam formam cogantur. Mihi non deſunt iuſtæ de his rationes, nunc tamen breuitatis cauſa reticendæ. In Primis ad dextram deflectendo, facilius in planicie pares erimus hoſtibus, & plura eorum tormenta aliter diſpoſita, reddemus prorſus in vtilia.*

112 Hæc BVQVOIVS, de verbo ad verbum, ex autographo vnius Collonelli tum præſentis, & ſcriptum ſuum benignè mihi communicantis.

113 *Iulia*

Digitized by Google

Iulio Cæſari, tanto Duci, in re militari eſt creden-
n: *Non minus eſſe Imperatoris, conſilio ſuperare, quam gladio.*
us eſt, inquit *Saluſtius*, qui vtroque valet. *Et Neſtor* … *Ho-*
o dicitur, *in conſilijs præcipuus, bello inutilis.* Verum BVQVO-
s (fidem faciant tot trophæa) tam conſilio nouit eſſe alter
ius, vt non temerè congrediatur, quam audaciâ alter *Ca-*
vt hoſtem opportunè ſuperet. *Scipio* (inquit *Liuius*) *lecticu-*
a aciem illatus, conflixit, nec dubia victoria fuit. Ita BVQVO-
pugnauit, vt Principem militiæ decuit, dirigendo, qui eſt
acillimus pugnandi modus; *Imperatori* exercitus non mi-
, quàm *Nauarchâ* in nauigando retinendus. Ille enim eſt
npago per quam exercitus membra conſiſtunt. Ille eſt ſpi-
s vitalis, quo tot millia agendo animantur. Illo ſoſpite ac
lumi, ſi vincitur exercitus, non tamen vinci cenſetur: ca-
te verò illo, etiam ſolo, licet vincat, victus tamen exiſti-
tur. Meritò igitur *Scipionem* ac *Hannibalem* reprehendit
ius, quòd vulnere ſine neceſſitate accepto, ſuorum trepi-
ioni, ac fugæ cauſam dediſſent. Non tamen veto, quin acie
linante, periculis ſe *Imperator* exponat. Ita enim *Alexander*
gnus, teſte *Iuſtino*, vbi hoſtes acerrimè pugnare conſpexit,
emper accurrit: & *Iulius Cæſar* (vt narrat *Tacitus*) *nutante*
ugam exercitu, rapto fugientis ſcuto, in primam volitans aciem
m prælium reſtituit.

Cæteri verò vix cœperant ordine loqui, cum à *Tor-*
to Comite, noſtri ordines, à tormentis hoſtilibus plurimū
celli dicerentur. Ait ergo BVQVOIVS: Nunc ergò dextris,
linguis, vtamur. *Sit Nomen Domini benedictum.* Eatur in
tem. Qua voce ſemel auditâ, non maior vnquam fuit ca-
n ſagacium feras perſequentium, quàm vniuerſorum mili-
ad congrediendum cum hoſtibus, alacritas.

Iam tuam fidē, *lector benigne*, compello, an non mor-
ium inuidorum inſana fuerit malignitas, qui BVQVOIVM
dicentem, ac facientem, ſuſurrando fecerunt inuitum ad
fligendum? Certo enim certius eſt, neminem potuiſſe eſſe
mptiorem. Hinc Nomen Domini, eum in modum bene-
it, quòd eo tandem rem adduxiſſet vt pugna vitari vix poſ-
Hinc iuſiurandum interpoſuit ante aliquot dies, me au-

diente, prima data occaſione quæ non eſſet prorſus iniquiſſima, ſe cum hoſte conflicturum. Hinc non obſtante vulnere moleſtiſſimo, fugientes rebelles noctu inſequutus eſt, præmiſſo *Gaucherio* ad eos diſtinendos, donec inuadere illos poſſet. Quæ eius præmittendi prouidentia, fœlici ſucceſſu (inde enim Hungari amiſſis equis non ſolum turbati, ſed ſui totius exercitus turbatores fuerunt) non tam initium, quam magna pars totius victoriæ fuit.

116 *Sit Nomen Domini* (inquit BVQVOIVS) *benedictum.* Nimirum ſi vnquam alias ominoſa ſententia, iuxta illud Diuini eloquij: *Turris fortiſſima Nomen Domini. Ad ipſum currit iuſtus, & exaltabitur.* Iterum: *Hi in curribus, & hi in equis: nos autem in Nomine* DEI *noſtri inuocabimus. Ipſi obligati ſunt, & ceciderunt: nos autē ſurreximus, & erecti ſumus.* Et ita planè accidit, ad literam, nullo iota prætermiſſo. Teſſera verò, à BAVARO in *Deiparam* deuotiſſimo, data eſt, MARIA. Deindè, Pater *Henricus Fitzſimon*, inchoato prælio iuſſus eſt recitare *Salue Regina.* Itaq; nō Cyclopicæ turbæ (de qua Homerus: *neq; enim Cyclopica turba curamus ſummumue* DEVM, *diuoſq; beatos*) more, vt falsò criminati ſunt nonnulli, auſpicati ſunt noſtri hoc præliū nulla inuocatione Numinis præmiſſa, ſed precum ſubſidio non in ſola prælij arena, ſed vndiquè terrarum conquiſito. Ab ipſa ſola Sereniſſima Duciſſa BAVARIÆ quid hoc nomine ad DEVM fieret, his verbis *Panegyricus* Sereniſſimo coniugi declarat.

117 *Itaq; vti valeres, & vinceres, aſſidua ipſa apud DEVM, aſſidua in templis, aſſidua in publicis cōprecationibus, diuiſam militiā tecum habuit, & partē prælij. Ferro tu, illa ſupplicijs ad DEVM hoſtes expugnauit. Laudato certè exēplo, ſummos, infimoſq; ad perēnes preces traxit, ſi tamen trahi potuère ſpontè currentes; nam is ardor omniū in templis fuit, vt appareret magna de cauſa preces fundi.*

118 *Teuffenbachio* cum lacrymis efflagitanti, dantur primæ partes, prioris totius aciei, quas animosè adminiſtrauit, quæque illi denegari non potuerunt, veluti *Fiduciario* vulgo *Sergeant de la bataille* ab Imperatore conſtituto. Eam inquam prouinciam, incūctanter, & fortiter obijt: quo Fiduciario monente, claſſica iam toto exercitu ſonant, & ſignis teſſera bello proponitur. Id verò dum fit, quid hoſtes facerent, videamus.

PARS

PARS QVINTA RELATIONIS HOSTIVM: DE TERRORE, FVGA, AC STRAGE SVORVM.

119 *Anhaltinus, inquiunt, videns hoſtes venturire, ſiniſtræ præfecit Hollachium, & dextram ſibi tuendam ſumpſit. Ad quam remeans, Streuſſi milites, qui debebant primum impetum retundere, è loco ceſſiſſe comperit. Illos tamen reduxit, ſed iterum dederunt ſe in fugam. Hoffkichen tum, cum Auſtriaco Regimento ſuffecit: ſed interfecto Duce, in fugam omnes conuerſi ſunt. Sileſiorum deindè quatuor turmas ſubſtituit, qui vtcunque eminus aggreſſi ſunt, ſed nullo impulſu cominus progredi voluerunt. Tandem hoſtibus torrentis inſtar ſeſe infundentibus: ancipiti marte aliquamdiu pes pedi, clypeus clypeo, vir viro conſertus eſt, ſed noſtris ſemper loco cedentibus: ſolo Iuuene Anhaltino, Stubenuollo, Stirhermio cum equitibus, & Comite Schlick cum ſuis Morauis peditibus veteranis, ac Berchman cum peditibus ſuperioris Auſtriæ, munere ſuo fungentibus. Reliqui omnes turpi fuga, & ante omnes Hungari, quantumuis in poſtrema acie conſtituti, ſe ſubduxerunt. Ex omnibus enim ſex Hungarorum millibus, (tot dabatur ſtipendium) vix trecenti, aut ne vix quidem, in hoſtium aſpectum ſe dederunt. Mirum verò fuit, nec Anhaltinum, nec Hollachium, qui ad finem perſtiterunt (equo Hollachij interfecto, & cunctis Nobilibus Anhaltini ad ſolos duos ſublatis, aut ſauciatis) non fuiſſe occiſos, aut certè interceptos. Idem dicendum de Ducibus Saxoniæ, qui ſtrenuè fecerunt. Id certè aſſeuerat Anhaltinus, nunquam ſe vidiſſe exercitum ita conſternatum: adeò vt impoſſibile fuerit ipſi, vel viginti equites per omnem ſuam authoritatem fugâ retrahere.*

120 Hæc illi, nulla ſyllaba à me addita, de ſuo exercitu, nihil interim dicentes in particulari de exercitu noſtro, niſi rapidi torrentis inſtar, vt euentu omnibus eſt compertum, in fugaces ſeſe intuliſſe. In quo, poſt acceptũ pugnæ ſignum, Wallones primæ, ſeu dextræ phalangis, ſub Ducibus præfatis

Verdugo, ac *Hainin*, vel Momo iudice, palmam *Pragenſis* victoriæ cunctis præripuerunt.

121 *Dictator* (inquit Liuius) *dextro cornu, Capitolinus ſiniſtro intulit ſigna.* Iterum: *In dextro cornu Romanos locat, in læuo cornu ſocios.* Qui igitur ſunt à dextris, primum honoris locum habere cenſentur. Sed cur Wallones qui erant à dextris, præ cæteris laude licet digniſſimis, in hoc prælio laudantur? Id libenter dicam, ne iuſtam quorumcunque inuidiam meritò incurram. In primis, quia plures, ac præcipuos hoſtium ſibi dedito ſtudio oppoſitos, idque breuiori tempore, fuderunt, fugaruntque. Secundò, quia minimum non ceſſerunt. Tertiò, quia opimiorem prædam retulerunt; Principem ſcilicet *Anhaltinum*, tria prima tormenta, & periſcelidem FRIDERICI, quæ poſtmodum Sereniſſimo BAVARO eſt oblata. Quartò, quia conſona omnium hoſtium, æmulorum, amicorumque voce debetur illis hæc laus, veluti prægreſſis per confertiſſimos hoſtium cuneos, & primum in *Pragenſes* portas (nullo in diem ſequentem apparente reliquorum militum) propè ingreſſis.

122 In alam dextram huius phalangis, ſub *Gaucherio & la Motte*, toto impetu delati ſunt hoſtes, ſed maiori impetu profligati ſunt. Fortes enim in alios fortiores inciderunt; Magnis interim Nobilibus noſtrorum, partim cadentibus, partim vt poſteà dicemus, vulneratis. His ſubſidio cum ſuis accurrit *Mekau*, qui planè maſculâ fortitudine iram hoſtium fregit, furorem extinxit, vires profligauit, & id faciendo glorioſam mortem oppetijt. Sed non impunè. Multis enim hoſtium ſtratis, duo equitum ſigna, & vnum peditum, Mecauiaſti reportarunt. Poloni, primò in hoſtes cum terga darent lupino vlulatu, ac pernici aſſultu terribiles ſunt immiſſi: quorum in fugientes, maximè Hungaros, immiſericors eſt impetus: quique ingenti præda onuſti, ad ſuos reuerſi ſunt. Nec aliud forſan Hungaros in *Moldauam* fluuium magno numero magis præcipitauit, quam in iſtorum manus ipſa morte magis exoſas, ne inciderent.

123 In alam quoque ſiniſtram furenter ſe hoſtes immiſerunt, aliquot occiderunt, plures in terram occiſis equis deiecerunt,

iecerunt, vexillum vnum ſuſtulerunt. Sed à *Philippo de Areycagay Auendanno*, Don *Baltazaris* Vicario, hodie autem Collonello equitum meritiſſimo, reſtituta ſunt omnia. Ille enim, equo ſuo cadente, in alterum equum inſiliens, & deindè in hoſtem, fortitudine Hiſpanica, Capitaneo egregiè animoſo *Petro Barannano de Aguirre* itidem Hiſpano, ſtrenuiſſimè pugnāti, vexillum) non ablatum niſi occiſo ſignifero, Capitaneoque in terram cum equo iacente) recuperauit. Ille hoſtem ereptis quatuor vexillis manu ſua, ſuorumque, itidem auerruncauit. Ille iuniorem Principem *Anhaltinum* (ex cuius id ore habeo) in brachio dextro vulnerauit. *Laurentius* quoque de *Medices*, fiduciarius, vulgo *Sergeant Maior*, & Capitaneus, vt alias ſemper, ſic tota Ala, viriliter admodum ſe geſſit: & ante omnes tormenta hoſtilia quæ proxima erant Palatio acquiſiuit: ſed ea in tuto fugientibus hoſtibus, cernens, prætérijt, conſolationem aliquam tardius venientibus, quaſi primi in ea incidiſſent, relinquens.

124 At maiori furore, momentaneo illo quidem, *Anhaltinus* Iunior, Comesque *Schlick*, ac alij in phalangem ſiniſtram debachati ſunt. Ibi ſternunt, vulnerant, tria vexilla abripiunt, & Tribunum *Preinerum*, captiuum abducunt. Non defuerunt ſocijs Col. *Libel*, & Collonellus *La Croix*, in omnem occaſionem excubare iuſſi (aciem adeò prouidè inſtruxit B v-QVOIVS) qui rogati accurrunt, reſtituuntque animos toti phalangi, vt omnia vexilla ablata, ac captiuos abductos, cum fœnore ſignorum, ac captiuorum recuperarent. Deindè ſuos commilitones VVallones, qui iam longius erant progreſſi, fuſis fugatiſque ab omni parte hoſtibus, ſecuta eſt phalanx ſiniſtra Germanorum generosè admodum repugnantium, vimque illatam vlciſcentium.

125 Hic non omittam plerumque in caſtris eſſe rapax, hiulcum, aduncumq; aduentitiorum hominum genus, quorum

nullum, furor egit in arma:
Caſtra petunt magna victi mer cede.

126 Soli enim lucro inhiant, ab omni periculo ſemper remoti. Ex his plerique cum hoſtium impreſſionem vidiſſent,

pelli ſuæ maturè cauentes, arripuerunt illicò fugam. Sed & Imperatoribus præproperi nuntij, noſtros cedere narrant. In equos igitur illi conſcendunt, etiam vulnere non obſtante *BVQVOIVS.* Qui cum plures triginta à ſe ſolo inſidendos circumducat ferociſſimos, ſimulque citatiſſimos equos: omiſſis tamen maioribus, gradarium delegit, ineptum ad fugam, ad aciem verò reſtaurandam ſi opus fuiſſet, peridoneum. At is, cum è contra noſtros præualere atquè fundere hoſtem conſpexiſſet, vultu ſibi ſemper ſimili, in ſuam ſe rhedam rurſum recepit.

127 Vltimi hoſtium obſiſtentium, ſe in ſinu ampliſſimo, non procul à palatio, ſtrenuè in exercitum noſtrum progredientem iaculantes, continebant. Collonellus *Lebel*, (ſuadente Don *Gulielmo Verdugo*, qui pulſo hoſte ſuos ſub *Hainino BVQVOY* Vicario, ad ipſas portas Pragenſes præmiſit, & reliquijs hoſtium delendis vbi opus videbatur monitor vltrò eſſe voluit) ſed reperit negotium, in tali ſitu, non equites, ſed pedites depoſcere. Itaquè ab Illuſtriſſimo Generali armamentario *Maximiliano Lichtenſtain*, acciti ex media acie hactenus intacta, trecenti Neapolitani (quorum omnes ad pugnam generoſo pruritu geſtiebant animi) qui rem incunctanter expediunt, ea ferocia, ſui ſanguinis, ac vitæ prodiga, vt non pauci Ducum (quos poſtea recenſebo) occumberent, ſed victoria glorioſa, (quæ eſſet totius tragicomœdię cataſtrophe, ſeu finis) potirētur. Semper enim deinceps dediderunt ſe hoſtes, & ſpolijs detrahendis, data eſt omnis opera.

128 In Palatium *Stellatum*, eiuſque ſaltum munitiſſimum, ſi hoſtibus non concidiſſet defendendi ſe animus, plura confugerunt millia, ſupplicibus manibus herbam, vt aiunt, porrigentia. Non enim à palatio, aut à Palatino, vlla ſpes affulgebat. A DEO certè, ſuum FERDINANDVM euidenter vindicante, multò magis deſerti fuerunt: Adeoque hodie omnibus aris, præſidijſque deſtituti; illud habere in ſe locum in illo loco experti ſunt;

Nec penetrant Superi Stellantem Regis in aulam:

In clementem tamen, vt ſtatim dicemus, inciderunt hoſtem.

129 Ad *BVQVOIVM*, iam in medio hoſtilium caſtrorum,

ſtrorum, vultu immotu ſpectantem ſuorum facinora, reuertamur.

130 Acceſſit ad illum primus (vt debellatis ſuperbis parceret ſubiectis) Baro *Merod* de *VVarroux* ſignificans vniuerſos qui in ſaltu Palatioque *Stellato* eſſent, dedere *BVQVOIO* ſe velle: in magno tamen periculo verſari, ne à noſtro Milite, ſanguinis fundendi adhuc cupido, iugularentur. Cui BVQVOIVS mandat, vt ducentis ſecum militibus celerrimè adductis, vim ab eis omnē propulſaret. Id ille impigrè eſt aggreſſus. Quem non prius hoſtes accedere viderunt, quàm oblatis omnibus ſignis, in vnum faſciculum colligatis, numero ſedenario, *miſericordiam, miſericordiam, miſericordiam* inclamarent. Quo tempore, tantus ſuperuenit militum noſtrorum numerus, qui è captiuis aliquos in prædam ſuam raperent, vt *Merodus* reſiſtendo non eſſet, & præter vexilla, vix ſibi aliquid haberet.

131 In vexillo Regio (ignoſcite catachreſi) erat *Sphæra* cœleſtis; cum hoc emblemate: Diuerti neſcio. Quid ais *Friderice?* A Sphæra ſalutis æternæ (id Caluinus malè te docuit) diuerti neſcis? Abi ergò, ne deſipias, quanto queas celerrimè, ex hac vita, vt citius ſis inter ſuperos, cum nihil hic non ſit miſerum, cœlo tibi vt ais deſponſato, comparatum. Moneo tamen, malè præſumptam *electionem*, ſola vnius literæ mutatione fieri *eiectionem.* Si fortè *diuerti neſcis* in terra, quia nullum ſupereſt tibi diuerſorium, ſeu hoſpitium, in quod peruenias gratus: eam eſſe peccati tui, quo per ſummum nefas facti à te ſunt tot exules, ac bonis ſpoliati tot inſontes, pœnam agnoſce.

132 Aliud vexillum habebat: *Bona cauſa tandem vincit.* Ergò FERDINANDI vincentis, bona eſt cauſa: ita verò vincentis, per montes, aggeres, per plures obſiſtentes copias, per hyemis incommoda, per tot difficultates, maximè autem per diuinam opem precibus aſſiduis expetitam, cauſa neceſſariò eſt optima.

133 Aliorum ad BVQVOIVM confluentium, hi adducunt gregatim captiuos. Illi adferunt extorta vexilla. Iſti oſtentant hiantia vulnera. Omnes ferè acquiſita commonſtrant

hoſtilia ſpolia. Laudat ille *DEVM* victoriæ vnicum largitorem, deindè ordine Duces qui fortiſſimè egiſſent: Singulis adferentibus vexillum, dedit decem ſaltem daleros. Nunquam verò ſe laudari, quoad potuit, paſſus eſt,

Quod Regum tumidas contuderit minas.

134 Aduenienti Tribuno Don *Gulielmo Verdugo*, Macte inquit virtute, ſic decet quem ego ad hoc delegi, feciſſe. Faciam vt *Cæſar* intelligat, quantum tibi debet, & nos omnes debemus, ob huius diei virtutem. Cùm verò audiſſet, manibus proprijs illum cœpiſſe egregium forma, inclitumque fortitudine *Anhaltini* Primogenitum, præter vexilliferum cum ſuo vexillo: gratulor tibi (inquit) opima ſpolia. Talia ſciebat eſſe ſpolia inter antiquos, illa tãtum, quæ Dux detraheret hoſtium Duci. Sed & Corona Caſtrenſis, nec non Muralis, eidem priſcè, quod primus hoſtilia caſtra inuaſiſſet, ac muros ſubijſſet, aſſignata fuiſſet.

135 Accedenti verò Tribuno *Preinero*, cum ſuo captiuo Comite *Schlick*, qui certè ſtrenuè ad finem vſque prælij pugnauit, arridens inquit; quomodo eſt tecum hodiè fortuna lubrica iocata? Quomodo illudens illa ac volubilis Dea, homines ſurſum deorſum rotauit? Hodiè fuiſti captus, ſimulque capientium captor. Fœlix, fauſtumque ſiet tibi, ac nobis, quod præclarè geſſiſti, cuius breui *Cæſar* efficietur certior.

136 Sic Tribuno *Teuffenbachio*, ſic cuique verbis, (quorum gratiam habet) vultuque gratulabatur, vt certè nequeam emphaſis tantæ, vel gaudij eorum quibus applaudebat, centeſimam partem exprimere.

137 Deindè prudenter omnia diſpoſuit. Mandauit *Hainino*, ſuo ipſius Vicario, cunctis (*Verdugo* deliberabat cum alijs caſtrorum Præfectis) VVallonibus iam præpoſito, qui animoſè, vt iam dixi, cum ſolis ijſdem VVallonibus ad portas muroſque *Pragenſes* eò die, ac nocte progreſſus erat, vt contra eruptiones paratus, ac peruigil eſſet: vtque tentaret editiſſimum murum prope *S. Laurentium*, ſed diligentiſſimè caueret, ne milites in Ciuitatem irrumperent. Polonis, ac alijs equitibus præcepit, vt fluuium tranarent, & fugaces, ſi daretur commo-

ditas

ditas (quæ negata eſt) interciperent. Deinde in caſtris hoſtium caſtra ſua poſuit, excubijs quaquà verſus conſtitutis.

138 Cum iam horis viginti quatuor BVQVOIVS cibo caruiſſet, vix licuit etiam tum per occupationum ſeriem, refectioni ſumendæ vacare. Inter alios, vnus, deinde alter interpellator tubicen prætenſi Regis literas à neſciò quibus *Anglis Legatis* attulit; quibus à BAVARO, ac BVQVOIO expetebant, vt ſibi aures benignè accommodarent, media aliqua propoſituris, vt omnia ſi Dijs placeret, commodè tranſigerentur. Sed eos nullo reſponſo dignati illi ſunt. Copias tales quales prius miſerant Angli *Friderico*, quæ nobis ſi poſſent exitio eſſent, & poſtea noſtra intenta ſaltem, ſi non illata vulnera cantu, carminibus, aut periaptis, egregij pacis arbitri, velle ſanare aiunt?

O quàm facilè fallere, vel per ſimulatum nomen amici?

139 Conſilium verò meum eſt vobis Anglis, inter Chriſtianos Principes in hoc ſæculo perſpicaci fidem aucupantibus, ne fraude bella tegatis, ſed

pietas ſua fœdera ſeruet,
Fraus abſit, vacuas cædis habete manus.

140 Nam ſi Catholici ſentiant Principes manus venatoris *Eſau*, vox fruſtra erit ſupplantatoris *Iacob*.

141 De numero cæſorum, etiamnum incerti ſunt rumores. Et qui primò fuit apud *Candidum Eblanium* in ſuo prælio *Pragenſi*, alioſque de eodem ſcribentium, certior rumor, de quinque millibus hoſtium occiſis; iam die diei eructante verbum, duplò ferè minor, quam hoſtes ipſi deſiderari agnoſcunt, paſſim cenſetur. Ad nouem enim millia cadauerum ſepulta non pauci ſunt qui ſe literas *Praga* ſcriptas vidiſſe affirmant. Penes Authores, per me cui Religio eſt incertæ famæ conſentire, ſtet fides. Plures certe ipſorum hoſtium audiui ingenuè fatentes, ex Moldaua flumine demerſos Hungaros, auri potius quod corraſerant deſiderio, quam pietatis officio, quotidiè à piſcatoribus, ac alijs extrahi. Quæ verò occiſorum in hoc prælio nomina expiſcari ego potui, hic ſubijciam.

Hoſtes occiſi in prælio Pragenſi.

Iunior Comes Schlick.
Baro Hofkircher, Vice Collonellus Auſtriacorum.
Duo Barones Schaffenberg, ex legione Comitis Schlick.
Bern. Kroſech, Comitis Hollach Vice Collonellus equitum.
Rabenſtain equitum Præfectus, ſub Iuniore Principe Anhaltino.
Nobilium, ac Capitaneorum longè maior pars, vt præmiſſa hoſtium Relatio diſertè agnoſcit.

Vulnerati eorundem.

Princeps egregius Anhaltinus Iunior, in brachio, ac humero dextro.
Ruben, eius Vicecollonellus. Steybach Capitaneus.
Vniuerſi Nobiles Anhaltini Generalis, demptis duobus.
Item Comitis Hollach, cum pleriſque reliquorum.

Capti eorundem.

Anhaltini Primogenitus *Comes Schlick.*
Comes Rhenenſis. *Supremus à Nudeck.* *Schaftenburgus.*
(Primogenitus Comitis de Turn, ſponte deſeruit Palatinum, cum tribus millibus militum.)
In Palatio Stella, eiuſque ſaltu, Collonellorum, Capitaneorum, militum omnis generis aliquot millia.
Equorum ſupra quinque millia.
Tormenta 7 Duo mortalia (Reliqua tormenta à fugientibus occultata & quotquot Pragæ ac alibi fuerunt, paulò poſt acquiſiuimus) Omnis bellicus apparatus, omniſque commeatus. Caſtra denique ipſa: ita diſſipatis hoſtibus, vt vbi agmine aliquo proſtent, non ſciatur.

141 *Epaminondas* cuidam obijcienti, quod *Agamemnonis* gloriam æmularetur: falleris inquit. Nam ille totius Græciæ præſidijs vſus, decem annis nunquam cœpit vrbem: ego vno die profligatis Lacedæmonijs, totam Græciam liberaui. Ita planè BVQVOIVS hoc vno prælio *Pragenſi*, totum orbem Chriſtianum à Caluiniſtarum inſidijs non tantum liberauit, ſed Chriſtianos principes, vt inuiſum DEO, ac hominibus perduellium genus facillimè exſcindant, debellato choryphæo,

phæo, euenatiſque eorum vbique aculeis, armauit. Sed non ſoli BVQVOIO, ne quidem ſecundum DEVM, laus tota debetur. *BAVARVS, Saxo, Spinula, Velaſcus*, alijque ſimiles, qui opem tulerunt, vel alibi hoſtium vires diſtinuerunt (tam enim qui victoriam cooperando promouent, vel etiam ad ſarcinas ſedent, quàm qui fortiter dimicant, encomijs celebrandi ſunt) debita ſibi laude ſpoliandi non cenſeantur: vt neque BVQVOIVS, à quo in *Auſtria* detinebatur præcipuus hoſtium exercitus, cum in ſuperiorem *Auſtriam* BAVARVS, in *Luſatiam Saxo Elector*, in *Palatinatum Spinula*, penetrauit. Singuli complicum, *totam* ſibi ſuarum victoriarum gloriam, nulli *totaliter*, ſecluſis alijs, iure ſibi depoſcant.

142 His ſemel dictis, vt inuidiæ omnium quoad liceat occurram, aio iterum BVQVOIVM in Cæſareo exercitu (primas in hac victoria citra controuerſiam obtinente) Principem militiæ, vel in eo FERDINANDVM ſecundum antonomaſticè, *Bohemiam* hoc potiſſimum prælio ſubiugaſſe, *Auſtriam* coërcuiſſe, *Morauiam* comparaſſe, *Sileſiam* (quæ per *Electorem Saxonem Cæſari* ſe ſubmiſit) ſubdidiſſe, *Hungariam* (noſtro ſemel, ſi non prius, conſpecto exercitu ſupplex fiet) recuperaſſe, & vniuerſis Chriſtianis Principibus in perduelles, non tam arma, quàm certiſſimam victoriam (ſi ea vti ſciuerint) in manus tradidiſſe.

143 Quæ victoria, vt omnes bonos ingenti gaudio repleuit, ita omnes vbique (ſub nomine Statiſtarum) Atheos, Auguſtiſſimæ *Domus Auſtriacæ* æmulos, vniuerſos deniquè Monarchiæ, ac Reipublicæ hoſtes tam apertos, quàm clandeſtinos, non minore luctu afflixit. Deinceps enim ſemper inconſolabilis vbique mœror, vbique pauor eos tenuit. Sed præ omnibus lamentabili planctu, vel vt *Poeta* ait, *Et gemitu, & lacrymis, & luctiſono mugitu* indoluit *Pragenſis* Regia, ſeu exregis *Friderici*, & exreginæ *Elizabethæ* mœſtiſſima familia, in miſeriam ſummam repentè coniecta. Quam iure optimo rebellibus debitam, optatamque voluptatem (*eſt* enim *quædam flere voluptas, & expletur lacrymis, egeriturq; dolor*) non illis inuideamus. Proximæ autem mœroris partes *Regi* magnæ *Britanniæ* non ſunt denegādæ. Ille enim de clade *Friderici* factus certior,

galero

galero in terram proiecto, abdidit ſe aliquot dies, deflens generi, filiæque vices, & ſpes Caluiniſtarum funditus collapſas. Sed in eo melius illi, quàm *Bullonio Friderici* auunculo ſtetit animus: quòd hic dolore confectus viuere deſierit, ille verò ſuperſtes tempori obedire non renuat. Principis verò *Mauritij* in nepotē pietas, tanto cruciatus maiores experta eſt, quanto exaltatione *Friderici* exultabat ſpes ipſi, abſoluti in prouincijs vnitis imperij obtinendi, valido nepotis ſubſidio. *Bethlen*, denique *Gabor*, cum à *Friderico* iam è quinque ſcopulis prolapſo deſtituatur, & pariter à *Turcis* Caluiniana perfidia in Chriſtianos fruſtrà inuocatis deſeratur, depaſcente viſcerum remorſu impatientiſſimus deprehenditur; incertus, an flecti præſtet, quàm frangi, ſeu an priuatus in tuto, quàm Princeps precariò, vel Rex perſonatus diebus pauciſſimis eſſe malit.

144 Ad leniendum quidem dolorem, more Turcico (vt eſt totus Caluinoturca, vel Turcocaluiniſta) ſuſtuliſſe dicitur è medio, quotquot è prælio primi fugiſſent Capitanei Hungarorum. Talem *Titum Manlium Torquatum* hodie ab omnibus cane, & angue magis exoſum, perfidiſſimi Hungari, præ FERDINANDO Regum clementiſſimo ſibi maluerunt, euentu quem poſteà manifeſtabimus.

NOSTRI OCCISI, ET VVLNERATI IN PRÆLIO PRAGENSI.

De *BAVARIS* occiſis, dempto vno vel altero eminus à tormentis, nihil indagine quacunque comperi. Sauciatus verò quàm plurimis vulneribus fuit Dominus *Papenein* celeberrimæ fortitudinis, & alij aliquot inferioris notæ. Aſcenſio difficilior à dextris, non certè animorum ardor, qui in illis erat eximius, fecit eos tardius venire ad vulnera, & mortem.

VVallo-

VVallones ex legione Don Gulielmi Verdugo.

Occiſi.

Signifer de Lettre.
Signifer de Vignacourt.
Signifer ſub Capt. Dieual.
Bomal.

Vulnerati.

Capitaneus Fourdin tormenti globo, ad pectus.
Capitaneus Colin in collo.
Adiutans Marcellus.
Frater Gaſpar de Drieul, Eques Melitenſis.

VVallones ex legione Excellentiſſimi BVQVOY.

Occiſi.

Capitaneus Maſurè.
Capitaneus Villè.

Vulnerati.

Capitaneus Monbartau.

Ex Aulicis BOQVOY.

Comes Pontiubo.

VVallones ſub Collonello Gaucherio.

In ala dextra Occiſi.

Baro Peterſem, hoſtium terror.
Capita Domprè, valdè inſignis.

Vulnerati ibidem.

Vicecomes Gandenſis, Principis Eſpinoye frater ſtrenuiſſimus.
Baro Deincy præclarus.
Erneſt: Suys, Baro de Cliquerlāt.

Sub VValſtain.

Comes Eduardus Scotti.

In ala ſiniſtra Occiſi.

Collonellus la Croix, fortitudine ac obedientia nulli ſecundus.

Ibidem ex Germanis.

Egregius Collonellus, ac Comes Mekau.

Neapolitani occiſi, vel læſi.

Ioannes Dominicus Calciapotus Capitaneus occiſus.
Hieronymus Veſper, Capi. læſus.
Scipio Filo-Marinus, Cap. læſus.
Coſcius Boccapianula, Cap. læſ.
Octauianus Marcheſius, Ca. læſ.

Aliqui horū deinceps mortui sūt

fuit VVolffgangus Sigiſmundus à Proſing, Liber Baro.

Omnes Signiferi ſub Tribuno Teuffenbachio vel occiſi, vel vulnerati, milites item 40. & Maytinger Capitaneus.

Caratti

**Caratti equitum Præfectus, ac Generalis Metator, cum ſuo Locum tenente.*

Germani occiſi ex phalange ſiniſtra.

Sub Collonello Preiner vexillifer platet & 150. milites: Laſi verò grauiter vniuerſi vexilliferi, dẽpto vno, & milites ducenti. Inter ereptos ab hoſte fuit VVolffgangus Sigiſmũdus à Proſing, Liber Baro.

Omnes Signiferi ſub Tribuno Teuffenbachio vel occiſi, vel vulnerati, milites item 40. & Maytinger Capitaneus.

In ala ſiniſtra phalangis ſiniſtræ occiſi.

Gabriel de Vega ex ephebis honorarijs BVQVOY.

Don Raphael de Requeſens, Reuerendiſſimi Epiſcopi Requeſenij nepos, & vexillifer Capitanei prædicti Aguirre.

**ſex vltimas lin. prioris, pag. quæ eſt 59. à lin. quæ incipit fuit VVolffgangus dele, Et poſt illa: Egregius Collonellus, &c. ſequatur initium huius pag. Caratti &c.*

145 Vndè patet, in hoc prælio victũ interijſſe; non tamẽ ſine luctu fuiſſe, interitu ſuorũ, victorẽ. Gregarios milites circiter trecentos puto fuiſſe occiſos nõ plures, quod hoſtes fuga celeri dilaberentur: quodq; noſtri nouis auxilijs ita eſſent ſuffulti, vt penetrandi, nocendique poteſtas fuerit eis ſublata.

146 Monẽre hic debeo ereptos ab hoſte, ſui erga ſeruatores officij. *Tribuni*, teſte Gellio, *cogebant ſeruatos, niſi id vltrò feciſſent, ſeruatores ſuos coronare, & parentum loco tota vita colere, eiſque ſubuenire.*

147 Hæc aũt victoria vt benè notauit *Candidus Eblanius* in ſuo libello de prælio *Pragenſi*, fuit primò *Opportuna*, ſecundò *Illuſtris*, tertiò *Iuſta*, *Opportuna* in primis, ac conueniens fuit, à tempore: veluti in Octaua Omnium Sanctorum, quibus Caluiniani ſpuentes in cœlum, bellum exitiale indixerunt.

148 In Dominica quoque 22. poſt Pentecoſten, in qua legi aſſolet Euangelium præcipiens reddere *Cæſari* quæ ſunt *Cæſaris*, victi ſunt hoſtes *Cæſaris*, & regnum *Bohemiæ* illi reddere coacti.

149 In vigilia Dedicationis *Baſilicarum* Saluatoris accidit, in eorũ punitionem qui *Baſilicas* ſacrilegè violarunt. Iuſtus enim DEVS punire ſolet grauius delinquentes, tempore, vel

vel loco, ad manifeſtandã vindictæ ſuæ cauſam, opportuniſſimo. Sic Iudæos ob mortẽ Chriſti trucidari fecit in Paſchalibus feſtis. Sic Græcos, ob Hæreſes in Spiritum ſanctũ, in feſtis Pẽtecoſtes Turcarũ tyrãnidi tradidit. Idẽ licet obſeruare in alijs.

150 Iuxta *Stellæ* Palatium contigit, cũ Teſſera data eſſet à Sereniſſimo duce *BAVARIÆ,* Deiparæ cultore præcipuo (quam in vexillis, in nummis, in oculis, in corde exprimit) Nomen MARIÆ, *maris Stellam,* nauigantibus turbulẽtum mundi pelagus ſalutarem, denotans. Sed quid in hoc Palatio ſtellato, *Fridericus* ipſe ſtella cadens, & tertiam ſtellarum Caluiniſticarum partẽ cauda ſua in terram trahens, ante paucos dies obſeruauit? Authores mihi ſunt Illuſtriſſimi Tribuni *Liechtenſtain,* & *Teuffenbachius,* qui id acceperunt ab *Heroinâ* quæ tum interfuit, pauciſſimis diebus ante hanc victoriam, prætenſum Regem *Fridericum,* ex feneſtra huius Palatij ſpectantem in locum pugnæ, repentè fuiſſe denſiſſimis tenebris circumfuſum: tandemque cum maxima animi conſternatione, vidiſſe nigerrimam nubem virgarum ſimilitudinem exprimentem. Terribiles cœli ſenſit adeſſe minas, in aures eius dicentes: viſitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum, qui vncto meo FERDINANDO rebellarunt.

151 Deindè iuxta ſaltum ferarum timidiſſimarum, ceruorum, leporum, & ſimillium domicilium, victi ſunt noſtri *Rhegini* (*regij* intelligendi ſunt) viri profectò ceruini, lingua bellantes, quorum omnibus pauor ingruit ingens, itaq; in pedes animus mox decidit imos. Et hæc omnia facta ſunt in *VVeiſſenberg* ſeu *monte Albo,* vbi noſter totus exercitus apparuit albus, ab induſijs, ſtrophiolis, vittis, faſcijs, chartiſque albis, quibus ad diſtinctionem hoſtium vſi ſumus.

152 Secundò *Illuſtris* etiam fuit hęc victoria Perſonarum preſtantia. Tres enim dinumerabuntur *Aurei Velleris Equites:* Sereniſſimus *BAVARUS,* cuius nomen, vt *Candidus Eblanius* precatus eſt, ſit in æterna benedictione: cum Chriſtum cognato, bonum publicum priuato, legitimum Regem inuaſori antetulerit; BUQUOIUS; *Dux Croy.* Duces ſex: primus, idem Dux Sereniſſimus BAVARUS: ſecundus, *Dux Croy:* tertius Dux *Saxoniæ* ex parte noſtra: & ex partę hoſtili tres *VVeimarij* itidem

Duces

Duces *Saxoniæ*: præter Principes (inter quos dignitate, canitieque Ex. *Carolus Liechtenſtain* præfulſit) Marchiones, Comites, Vicecomites, Barones, & inclytos magno numero Heroes, *Germaniæ, Italiæ, Galliæ, Belgij, Poloniæ, Bohemiæ, Morauiæ, Hungariæ*, qui *Cæſari* vitas ſuas, ac ſanguinem libenter propinarunt.

153 *Iuſta* deniquè fuit, cum numerus vtrinque vel non omninò, vel certè longè diſpar non eſſet: & vbi occurrebat vmboni vmbo, enſi enſis, pedi pes, equitatus equitatui, tormenta tormentis. Si forte noſtri virtute præſtabant: iniquitate loci aduerſarij multum ſuperabant. Sed iuſtiſſima fuit alio nomine, quòd FERDINANDVS SECVNDVS hereditarius, ſimulque electus, coronatus, denique legitimus Rex, eam reportauit de *Friderico* iniquo vſurpatore per ſummum nefas alienum regnum occupante.

154 Iam appetebat aurora fugans micantia ſidera, cum ad BVQVOIVM accurrit quiſpiam narrans à Wallonibus perforatum eſſe murum. Statim mandat Don *Gulielmo*, vt totis viribus prohiberet irruptionem, ne diriperetur Regia Ciuitas, perirentq; mixti rebellibus plurimi Catholici. Alioquin certè id ſtatim eueniſſet. Fieri tamen non potuit, quin clam aliqui fuerunt ingreſſi per carcerem qui erat in mœnibus, quem fortè VVallones perfoderant, data captiuis læta libertate. Ciues verò minoris vrbis (conſtat *Praga* tribus vrbibus: Minore, quæ eſt pulcherrima; Veteri; ac Noua) in tanto periculo ſibi ſapienter conſuluerunt, miſſis qui vltrò claues offerrent. Et patuit ſtatim proximis noſtrorum militibus porta, nullo obſiſtente.

155 Quid hoc eſt? Rege prætenſo adhuc in ciuitate, nullum tamen omnino fuiſſe, qui eius gratia excubaret, aut vno ſaltem die tam potentem ciuitatem propugnaret?

156 Hoc eſt quod dixi, Caluinianos vbiquè gentium ità peſtiferè olere, vt cimicibus, ac quauis ſulphurea mephite, ſint longè graueolentiores. Quot ex ijs Iudæi, ac Mahumetani facti ſint? & tamen Iudæi Pragenſes (licet pulchrè conueniat improbis Cinædis) pro eorum extirpatione, ieiunia publica, vt mihi conſtat, orationeſque inſtituerunt. Lutherani,

ac Huſſitæ, de eorum exitio, iubilantium more exultauerunt.

157 Cum verò *Rex*, exrex, noſtris aditum patefactum eſſe intellexiſſet: ita inopinato nuntio, cum omnibus ſuis, perculſus eſt, vt vaſis argenteis, omnique ferè derelicta ſupellectile (Regni coronam fruſtra auferre voluit) fugam præcipitauerit.

158 In ponte magna eſt Crucifixi imago, à Caluiniſtis fruſtrà ad rogum expetita: quam ne videret *exregina Palatini* vxor, interdixit ſibi quamdiu *Praga* fuit omni per pōtem tranſitu. Nolo, inquit, balneatorem iſtum nudum ſemel aſpicere. Crucifixo tamen in ponte proſtante, hodiè feſtinans tranſiuit: ſublata illi moleſtia reuiſendi Crucifixum, ac per pontem vlterius tranſeundi. An fortè bona Domina tuum *Fridericum Pragæ* prope molendinum magna omnium indignatione cum fæce populi balneantem, non vidiſti? ſi vidiſti, & ferre potuiſti: cur ita excandeſcis contra Crucifixum *Filij DEI* imaginem, ſanguine ſuo noſtrarum animarum balneatorem? Ad Dei aures tua blaſphemia peruenit *Elizabetha*, ſed eius fæces ebibere aliquandò debebis, cum diphteram inſpexerit, ille quidem lentus ad vindictam *DEVS*, ſed eam grauitate compenſans, cuius humanis viribus, etiam regijs, plus valet iuſta indignatio.

159 Nouembris nono, in feſto Dedicationis Saluatoris, ſub horam vndecimam *BVQVOIVS*, non pompa triumphali in Capitolium, ſed ſupplici pietate in Patrum Capucinorum templum, rem Diuinam auditurus *Pragam* ingreſſus eſt. *Fortitudo* (inquit) *mea, & laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem.* Sic in vexillo proprio, non brachio ſuo carneo, neque ſagenæ ſuæ immolans, ſed diuino auxilio ſe fidere manifeſtè demonſtrat. Ab vna enim parte, Crucifixi imaginis literis maiuſculis ait; *Exurge DEVS & indica cauſam tuam.* Ab altera verò parte, *Deiparæ* imagini inquit: *Monſtra te eſſe Matrem.* De cuius ad *DEVM* quotidianis deprecationibus, ex Terentio dicam,

Tu pol, ſi ſapis, quod ſcis, neſcias.

160 Poſt horam duodecimam, eodem die Sereniſſimus

BAVARIÆ Dux in eorundem Patrum Monaſterium aduenit. Difficile eſt dictu, quantis partim encomijs, partim vultus applauſu omnium bonorum exceptus fuerit. Hic, inquiunt, eſt magnus *BAVARIÆ* Dux MAXIMILIANVS, ſui conſobrini *Friderici* propter *DEVM* oblitus, ſui commodi propter commune bonum incurius, ſuę etiam vitę propter fidem, ac FERDINANDVM Cæſarem prodigus. Hic eſt æmulationis inueteratæ inter Auguſtiſſimas domos, *Auſtriacam*, ac *Bauaricam*, charitate erga *DEVM*, ſuamq; Eccleſiam in ſempiternæ neceſſitudinis fœdus transformator. O gratum *DEO* obſequium, beatum Chriſtianis omnibus gaudium, optatiſſimum toti Imperio beneficium! Nullus in illo poſt tantam victoriam faſtus, nihil fœlici ſucceſſu inſolens, nihil in toto homine incompoſitum. In tanta deniquè veſtiū modeſtia, vultus ſerenitate, laudum odio, mihi, ne ſolus tacerem inter tot Encomiaſtes quod erant homines, illud *Martialis* de *Nerua Traiano* dicendum ei occurrit:

BAVARE tanta tibi eſt recti reuerentia, & æqui,
Quanta Numæ fuerat: ſed Numa pauper erat.
Ardua res hæc eſt, opibus non tradere mores:
Et cum tot Crœſos viceris, eſſe Numam.

161 Cum Numa enim, Baſilicarum plurimarum eſt extructor, tantoque vt in Baſilicæ Saluatoris feſto *Praga* protiretur, dignior. Cum Numa, immò ſupra Numam, DEI purum cultum ſubditis volentibus nolentibus commendauit. Cum Numa, Sacerdotibus, ac ſacratis Virginibus numero incredibili domicilia dedit, ac dotauit. Cum Numa deniquè, ſeu potius vltrà Numam non fanatica, ſed Catholica pietate, & iuſtitia Chriſtiana præfulget, nec opibus, aut victorijs mores tradit.

162 Diſtinctionis, vt dixi, nota, exercitus vtriuſque Catholicorum, erat vel ex albis induſijs, vel plumis, vel vittis, tænijs, plagulis, ſtrophiolis, vel etiam chartis, ſed non niſi albis, in corpore, brachijſque à multis, à pluribus autem in galero geſtatis. Omnes repentè *Bohemi*, maximè autem *Pragenſes* viri, fœminæque, pueri ſenesque, cæruleo *Friderici* colore abiecto,

ſecto, nobis albicantes occurrerunt. Sic ſequitur fortunam ſemper, oditque damnatos incertum vulgus. Sed & Catholicus quilibet eſſe voluit. Caſtrenſibus Societatis Iesv Patribus, alijſque Eccleſiaſticis, me vidente, cernui, ſupplicesque vniuerſi dextras porrigebant, oſcula infigebant, ſublatis in cœlum oculis, de tam læto die quo eos reduces conſpicerent, gratias referebant. O vita fallax, abditos ſenſus fictosque occultas, lætamque turbidis animis ſæpius laruam inducis. Sed tamen tranſparebat diſſimulatus amor, riſuſque ex ore mendaci ridiculus naſutis erat. Qui verò animo Catholico erant, dextro oculo ſaliente, fronte exporrecta, obuijs vlnis adfluebant, corque pellucidum non obſcurè teſtimonium ſynceritati perhibebat. Tales in Minore vrbe multi, in Veteri pauciores, in Noua pauciſſimi reperiuntur. De ijs Catholicis *Bohemis* intelligo iſtud: *Hi ſunt qui venerunt ex magna Tribulatione.* Mira enim, nec ſolum mira, ſed dira perpeſſi ſunt à Caluiniſtis, ſpoliati armis, bonis, officijs, ſuffragijs in republica, & niſi opportuna Dei clementia interceſſiſſet (certum eſt quod dico) vita quoquè omnes erant ſpoliandi. Non ſcio, quinam primi, quinam poſtremi ſint de nomine laudandi, veluti (vt cognomentum quoquè fert) verus inter illos *Peregrinus. Ioannis Caroli Koning* à *Koningsfedt*, eiuſque lectiſſimæ coniugis nutricis meæ in morbo *Anna Maria Koningen*, apud quos menſe integro gratis ſum hoſpitatus, verorum, ac probatorum in fornace Catholicorum, minimè obliuiſcar. *Smetzanky* (Domini de *Martinitz*) *Slabatha*, *Philippi*, ex feneſtra Palatij odio Religionis eiectorum, quis erit aliquando immemor? Per illam feneſtram emicat Caluinianæ crudelitatis explorata vbilibet gentium belluina ſæuitia. Per feneſtram illam, *Deipara* inuocatæ, ac accurrentis illuxit miraculoſa erga ſuos, etiam in 50. pedum profunditatem inter ſaxa præcipitatos, opportuna ſubuentio. Per illam deniquè feneſtram, tranſparuit rebellionis in legitimum Regem à tam ſæuo, diro, infando piaculo auſpicatæ, enormis turpitudo.

163 Sed me longius portentoſa Caluinianorũ in Catholicos rabies à *BVQVOIO* abripit; qui tardius in hoſpitium

delatus, medicos tandem conſuluit de vulneris, corporiſque ſui ſtatu. Illi ſine mora, vt in lecto decumberet, hortantur. Serius enim medicina videbatur parari. Sed ſanitatis magna pars fuit, voluiſſe ſanari. Homo enim ille, ſui ſpretor, in familia (vt minimum dicam) perſonarum centum quinquaginta, nullum tamen valetudinis cõſeruandæ cauſa numerauit medicum. Lectum quoque medici paulò commodiorem illi præſcripſerunt: qui prius, ſemper veſtitus, ac ocreatus, in omnes benè gerendi occaſiones, ſuper duos aſſeres, tenuiſſima ſola culcitra interiecta, decumbebat.

164 Cum non primis diebus, ſed tandem aliquando coactus decumberet: nullum tamen eum reclinabat vllo die otium, ſed quod *Suetonius* laudauit in *Veſpaſiano*, Legationes de lecto audiuit, exercitum in ſtatiuas diſtribuit, immunitates (vulgò *ſaluas guardias*) aduerſus militum ſpoliandi rabiem, cunctis petentibus indulſit. Me quoque audiente Tribunis, Præfectis, Centurionibus, ac in officio cæteris diſtrictiſſimè mandauit, vt milites ad ſigna continerent, prædones capite plecterent, rapinas raptuſque, ac reliqua delicta ſeueriſſimè caſtigarent, ni ipſi cauſam dicere mallent. Vos enim, inquit, in cauſa eſtis, cur mihi transcribatur omnis militum culpa: quam neque cognoſcere quidem poſſum, conniuentibus vobis, ſpoliorum iniquorum participatione, manifeſtè corruptis. Qui multa iam rapuerit, & pauca vobis ſuffragantibus dederit, ſecurus eſt. Vtinam ſuffragantes eſſetis ſolum, non complices, & verò authores, aut etiam non impulſores, vt miſeri ruſtici, perlongè miſeriores milites, leonino cõſortio, vtpotè non ſibi, ſed nobis deprædantes per ſummum nefas prædæ fierent. At dicitis, nobis inſcijs eunt milites redeuntque tanta multitudine, vt tollatur non tantum pœna, ſed propemodum ipſe pœnæ reatus. Egregia verò laus: quod id fiat vobis inſcijs, quorum intereſt noſſe ſuos, ac in promptu in occaſiones habere. *Claudio* ignoranti, vt aiebat, cædem à ſuis commiſſam, inquit *Auguſtus:* Dij tibi malefaciunt. Adeò iſtud turpius eſt quod neſcis, quam quod occidiſti. Quorſum vobis locum tenentes, Fiduciarij, Centuriones, Teſſerarij, Decuriones, ſi ſimul omnibus ac ſingulis proripiant ſe integri centenarij.

narij, aut certè numeroſi manipuli, veluti nebula tecti, nullo Præfecto, nulloque excubitore reclamante, aut ſi non reclamante, ſaltem conſcio? Seni gnaro technarum veſtrarum, verba dare, difficile eſt. Concludo tandem: ſolitam vindemiam mihi credite, hic vos non facturos impunè. Non enim direptioni ſubijcienda eſt *Regia Ciuitas*, ſponte ſua *Regi Legitimo* ſupplex accedens. Id Sereniſſimus *BAVARVS* pro ſuis; Id ego pro Cæſarianis, Ciuitati, ſanctè recepimus.

165 His tamen non obſtantibus, rapinæ infandæ, ſæuæ, triſtes, ſingulis ſi non horis, ſaltem noctibus, *BVQVOIO* deferebantur: Et quidem de præcipuis, quos nominare piget, pudetque. Habent in exercitu Germani Præfecti inaudita multa priuilegia præſcriptione ſola, non verò authoritate vſurpata: quibus cum volunt, & quantum volunt, veluti liberati à legibus, manibuſque ferulæ ſubductis, ſuperiori obſiſtunt.

166 *BVQVOIVS* non obſtantibus his omnibus priuilegijs, multum authoritate, longè magis affabilitate, ac beneficentia, in pleriſque illos (ſupra omnes hactenus Generales) ſibi obedire docuit. Non tamen hactenus perficere potuit, vt in delinquentes, cum ſoleant eſſe ex præpotentioribus familijs, leges vim ſuam obtineant. Horum quoque exemplo audentiores fiunt alij Præfecti à Germanis diuerſi. Ex quorum numero, aliqui tanquam maiores muſcæ, araneatum telis, id eſt, legibus in ſe quidem, ſed non in vulgus infirmis perruptis, deprehenſi ſunt egregij raptores. In quos BVQVOIVS excandeſcere ſolum, nullam autem poteſtatem exercere potuit.

167 Non defuit quidem illi quantam *Cæſar* transferre in eum potuit authoritas. Sed prauæ conſuetudinis inueteratæ tollendæ, cum ſeditionis manifeſto (ſi priuilegiorum vlcus illud tangeret) periculo, negata eſt opportunitas. Præſtat autem vni, eique minori malo obnoxium eſſe, quàm duobus; ne flagrans incendium oleo extinguere velle videamur. Ipſius potius ſupremi Principis eſſe videtur mea ſaltem ſententia, Magnatum crimina procul à caſtris cognoſcere, vt eadem opera, atrociori militum licentiæ finem ſimul citiſſimè ac fœliciſſimè imponat. Sic *Conſtantinus* Magnus, *Iuſtinuſque* Impe-

peratores, ſic *Alfonſus* Rex, ac alij compendioſiſſimè crimina reſciderunt. Tribunal *Cæſaris* ſit ſemel, vt ſub Prætore *Lucio Caſſio*, reorum quorumcunque ſcopulus: nemo erit qui domi viuere, quam in ſcopulum impingere, non malit. Cur deſperet quis id fieri poſſe, quod toties factum eſt? Quod ſi ſedulò non fiet, fruſtrà erunt de iuſtitia erga milites neglecta querelæ, cum exactionibus malorum Præfectorum non occurratur. Quid triſtes querimoniæ (inquit *Horatius*) ſi non ſupplicio culpa reciditur? Cæterum, cum quod vellet *BVQVOIVS* facere non poſſet, voluit id quod potuit. Edicto ſiquidem ſeueriſſimo cauit, vt ab vrbe *Pragenſi* ad ſuas ſtatiuas vniuerſus abiret *Cæſarianus* exercitus, nullo dempto. Quo certè id accidit, vt ſaltem qui eſſent deinceps *Cæſariani*, vel *BAVARICI* milites in Ciuitate *Pragenſi* raptores (prius quicquid delinquebat coquus, tibicen, ſeu pro ſonte inſons, ex vno pro altero exercitu luebat) nemo neſciret. Hæc ille forti voce; quod verò ſequitur, forti ſuorum brachio. *Karlſtein* eſt caſtrum Bohemiæ munitiſſimum, in quo aſſeruari ſolebat Regium diadema: cuius pro tempore *Burgrauius* in Bohemiæ Regem, eiuſque hæredes (quo ſolo, ſi aliud non eſſet, Regnum Bohemiæ eſſe hæreditarium luculentiſſimè conſtat) his verbis iurare ſolet. Et in Iunio anni 1617. Comes de *Thurn* munere *Burgrauij* fungens, in FERDINANDVM II. potentiſſimũ, ac pientiſſimum Regem (contra quem periurus, ac perfidus tot tragœdias deinde ſuſcitauit) ipſum hoc, quod ſubijcio, iuramentum nuncupauit.

IVRAMENTVM BVRGRAVIORVM KARLSTEINENSIVM, AB IPSO HENRICO MATHIA COMITE DE THVRN NVNCVPATVM.

IVRAMVS *Domino* DEO, *Omnibus Sanctis*, *Sereniſſimo Principi ac Domino, Domino* FERDINANDO, *Romanorum, Vnga-*

Vngariæ, Bohemiæ, &c. Regi, &c. tanquam Bohemiæ & Suæ Maieſtatis Hæredibus legitimè à ſua Maieſtate prouenientibus: & omnibus Dominis, Equeſtri Ordini, Nobilibus, & vniuerſæ Communitati Regni Bohemiæ, &c. Quod iſtam arcem Karlſteinenſem cũ Corona, & omnibus Priuilegijs ac Klenodijs Regni, quæ nobis tanquam Burgrauijs à Sua Regia Maieſtate, & Dominis, Nobilibus, & vniuerſa Communitate Regni Bohemiæ concredita ſunt, fideliter, ac diligenter ſeruare debemus, & rectè cum omnibus agere, Suæ Regiæ Maieſtati, eiuſq; Hæredibus, & vniuerſo Regno. Quòd ſi DEVS permitteret, vt Rex ac Dominus noſter abſq; Hæredibus moreretur: tunc Arcem Karlſteinenſem nulli debemus cedere, neq; Coronam tradere: ſed cùm Domini, Ordo Equeſtris, & tota Communitas Regni, B. pari voluntate de Rege cõſentirent, eumq; ipſo facto eligerent, & pro Domino acceptarent ita, vt antiquitus fiebat, iuxta conſuetudinem, ius, Priuilegia Regni, B. Tunc mox & quamprimum debemus, & promittimus, Coronam abſq; vlla repugnantia Dominis, & Equeſtri Ordini, ac vniuerſæ Communitati tradere: nihil ad id nobis in auxilium acceptando, quod humana ratione excogitari poſſit. Poſt Coronationem verò, quandocunq; moneremur, debemus etiam Regi futuro Karlſteinium in poteſtatem tradere. Quòd ſi nos ita non geramus (quod DEVS auertat) ſiue in toto, ſiue in parte: agnoſcimus, quòd id ageremus (vel patraremus) contra noſtrum honorem: ipſum honorem, vitam, facultates noſtras perdituri, nullo vnquam tempore in æternum ad ea reſtituendi. Sic Nos DEVS adiuuet, & omnes Sancti.

169 Hoc tanti momenti caſtrum, iacens in lecto BVQVOIVS, miſſo Illuſtriſſimo *Maximiliano Liechtenſtain*, de quo ſuperius, cum idonea manu, ac apparatu, expugnauit. Anglorum, Scotorumque præter alios, in eo erant ſexcenti: reliquiæ nimirum duorum millium, quos Rex Magnæ Britãniæ in ſubſidium generi ſui *Friderici* ſubmiſit. Ingens quoquè erat commeatus, ac apparatus bellicus. Noſtris tamen, (nulla vi in illos cominus tentata) ſeſe dederunt, eo ſolo pacto, quo ad ſuos lares redire poſſent. Qui ne vnum quidem memorabile edide unt facinus, nec tam milites, quàm colones inualidi videbantur: Non alioqui caſtrum tam munitum, ac pluribus bellicis tormentis inſtructum, noſtris vix à ſe conſpectis

tradituri. Sed boni viri, carceres aliquando pro parte maxima experti, concludi obſidione noluerunt, remque alienam retinere, viri tandem ſi DEO placet probiſſimi, ſanctæ ſuæ religionis remorſu exhorruerunt. Si tamen in re iniuſta locum habeat iuſta excuſatio: Quorſum caſtra coronaria *Friderico* ſeruarent, qui caſtris, & corona turpiter relictis, vagabundus clauſtra, & aſyla in quibus tutò delitescat, qui clauſtrorũ erat (quanq iam ab auia clauſtrali oriundus) violator notiſſimus, ſolicitè inquirit. Sed BVQVOIVM vel lecto, vel ſaltem cubiculo à medicis vt dixi adiudicatum, quieſcere pauliſper ſinamus.

170 Cum verò ille quieſceret, & alij magno numero inquiete reuoluerent animo, qua ratione præripere poſſent alijs boni nuntij conſuetam mercedem: & ſtarent hi parati in *Hiſpaniam*, illi in *Belgium*, iſti in *Auſtriam*, *BVQVOY* nutum præſtolantes: Soli ex omnibus coniugis fratri, ſtrenuo ac prudenti *Comiti de Biglia*, qui coniunxit ſibi ſocium itineris Capitaneum *Camargo*, ferè octo dies poſt prælium Pragenſe dedit literas ad *Imperatorem* de fœlici ſucceſſu perferendas. Deindè poſt aliquot dies promptum & idoneum ad egregium omne facinus, ac eo honore digniſſimum Baronem *Merod de VVarroux* ad Archiducem *Albertum* cum eiuſdem argumenti literis in *Belgium* ablegauit. Comes *de Biglia* quod eſſet primus boni nuntij, cui fides debebatur, baiulus factus eſt (& certè meritò) equitum Collonellus, donatuſque aureo annulo pretioſo. Socio quoque itineris Capitaneo *Camargo* torques aureus obtigit cum officio Metatoris Generalis, cum ſit egregiè induſtrius, ac Polypragmaticus, & in bello Italico, ac Bohemico non parum laudatus. Baroni item *Merod*, *Albertus* Archidux annulum magni pretij, literaſque commendatitias donauit. Is verò reuerſus Viennam Generalis Armamentarij Vicecollonellus, iure optimo eſt declaratus.

171 Cur verò BVQVOIVS exemplo aliorum non è veſtigio in omnes partes ſcriberet, ſed poſt ſatis longam temporis intercapedinem ad ſolum *Imperatorem*, ac Archiducem *Albertum*, multi meritò mirati ſunt. Non enim inuidenda erat ſperata lætitia *Summo* ſaltem *Pontifici*, aut *Regi Catholico*, quibus

BVQVO-

BVQVOIVS tantum tribuit ac debet, & tantum debet ac debere poteſt. Quibus tamen de hac victoria nihil ſignificauit. Et rationem rogatus, illud ſolet reſpondere;

Nec te collaudes, nec te culpaueris ipſe.
Hoc faciunt ſtulti quos gloria vexat inanis.

172 Cum verò alij dicerent propriarum laudum ambitioſos multa in eum ſparſuros falſa: Infit ille ſtatim:

Conſcia mens recti famæ mendacia ridet.

173 Qua interim tarditate ad ſcribendum de rebus ſuis, qui non malè morbus vocatur bonorum, benè de ſe merentium ſæpius offendit animos, calumniantium (qui plurimi ſunt in virtute præſtantes) mendacijs robur, ac ſpatium largitur, rerumque geſtarum circumſtantias præcipuas (cur hoc tentatum ſit, illud omiſſum, non pluribus hic pugnatum, illic retrogreſſum, iſtic immoratum) deniquè ipſam animam actionum ſuarum, intentionem ſcilicet, poſteritati denegat.

174 Indolem tandem hominis talem cum admiratione ſuſpiciens FERDINANDVS Cæſar, eiuſque integritatem, ac fidem longè maximam in omnibus occaſionibus expertus: multis ad eum datis literis iuſſit, ne ſaltem à calumnijs quibuſcunque, aut quorumcunque metuat, cum ſiniſtram habere nolit, ac nequeat de eo opinionem, ſiue ſcripturus ſit, quod foret illi gratiſſimum, ſiue non ſcripturus quod ſpectato hominis ingenio, amplius nō ſit illi ingratum. Mandauit tamen, ne de exercitus rebus ſaltem neceſſarijs ſcribere omittat, quod *BVQVOIVS* ſemper ſe feciſſe affirmauit, vbi veredarij curſores ritè erant diſpoſiti, & facturum quotieſcunque occaſio poſtulauit.

175 Silentium tamen hoc *BVQVOY* non obſtitit, quin ad eum Sanctiſſimus *Rom. Pontifex*, Literas daret decimo nono Decembris, ac dilaudaret de *conſtanti virtute*, *ſtrenuis*, *fœli-*

cibuſque laboribus in hac conſequenda victoria, pro Catholicæ religionis, & Sac. Rom. Imperij dignitate, & ſalute.

Rex quoq; *Hiſpaniæ*, hanc ad eum dedit Epiſtolam.

COGNATO SVO,

COMITI DE BVQVOY, ET SVO CAPITANEO GENERALI REI ARMAmentariæ, in exercitu Belgico.

COGNATE mi, Comes de BVQVOY, mique Capitanee Generalis rei Armamentariæ in exercitu Belgico, ex Chartis Comitis de Onnate, intellexi victoriã adeptam in Palatinum, ſuoſq; cõplices, vnà cum ſingulis circumſtantijs, & quo valore, *ac* pruden-*tia in hac occaſione te geſſiſti. Quæ benè reſpondent tuis antiquis meritis, & amori, quo mihi deſeruis. De quibus plurimas habeo tibi gratias, certò oſtẽſurus quoties occaſio dabitur in tuam vtilitatem; hoc obſequium fuiſſe mihi gratum. Madrid, 19. Ian. 1621.*

EGO REX.

Nihil tamen ille inſolentior, inter antiquæ modeſtiæ fines ſe continet.

176 Ad Sereniſſimum Ducem *BAVARIÆ*, qui ſolus cum tribus alijs ſuorum in tanta familia ſanus ſoſpeſque (DEO nobis euidenter propitio) per totum iter, in quo ſui ſolius exercitus millia amplius quatuordecim, præter Aulicos propè vniuerſos, morbo deſiderata ſunt, perdurauit: obtutus noſtros remittamus. Is nullum temporis momentum inaniter triuit. In ipſo S. *Martini* feſto, tota *Praga* (duæ partes trans fluuium vno die tardius, quam minor vrbs, ſe ſubmiſerunt) in Regis FERDINANDI arbitrium iurauit; ingenti aceruo confœderationum (Statuum innumeris ſigillis, iuramentiſque confirmatarum) cum *Sileſijs, Morauis, Hungaris, Hollandis, Vnitis, liberis Ciuitatibus, Turciſque* ipſis, reſciſſis pari facilitate

qua

qua perfidia initis pactis) producto. Ad omnia facienda, ac reficienda, Caluinianorum quibus nec ara, nec fides, nec iuſiurandum manet, ſufficit indeterminata authoritas, omni *Pontificia* diſpenſatione multis paraſangis amplior. Sed hic nulla, ne quidem *Pontificis* diſpenſatione opus erat: non quod violanda ſit oppignorata hæreticis fides, vt nos docere hæretici mentiuntur, ſed quòd duplicia periuria (alterum quo legitimum Regem in quem prius iurarunt perfidè abiurarunt: alterum quo in vſurpatorem illegitimum reiurarunt) non verò iuramenta, *Friderico* intruſo, *Bohemiæ* Status nuncupaſſent. Fœlices illi, cum in modum reierantes, quod non interfuerit Priſcus Populus Romanus, qui *Carbone* pollicente quidpiam, & addente iuſiurandum cum execratione, viciſſim iurauit, ſe illi non credere.

177 De *Friderico* tandem in fugam euolante nonnihil dicamus. De quo occurrit contrarium eius quod de *Cyro* ſcribitur conflicturo cum hoſte, loco qui dicitur Cunax. Eum, *Clearchus* monebat vt ſe contineret poſt *Macedones*, ne in vitæ diſcrimen veniret. Quid ais *Clearche*, inquit *Cyrus*: viſne vt cum regnum appetam, regno me indignum oſtendam? At *Fridericus* regnandi cupidus, poſt *Macedonum* poſtremos ſe occultauit, & audita ſuorum fuga, fugiendo, vniuerſos celeritate præuertit. Nec eo contentus, gazam ferè omnem, & mundum coniugis muliebrem, ipſos quoque calceos, filiorumque ſuorum gladiolos, galeros, veſtes, induſia: immò verò ipſamet biblia ſua, & vxoris, ac vtriuſque bibliothecam (in qua plures erant comœdiarum, quàm pietatis Libri) in tanta feſtinatione hoſtibus ſpolia reliquit. Quem fugiendo, vt *Iob* prædixit, *vndique terrebant formidines, & inuoluebant pedes eius, & ſonitus terroris ſemper in auribus eius.* Quicunque enim ſequebatur tanquam manus in eum iniecturus timebatur. Auicula quæuis videbatur Biceps FERDINANDI Aquila. Quod enim Octauia erat furdo verbere filio Neroni, Clitus Alexandro, Iunius ruſticus Domitiano, Symmachus Theodorico, ſuus denique Beſſo parens, vim iniquâ paſſi, & deinde tortores iniqui in ſe cõſcientiæ: hoc *Friderico*, iã ſuo Prometheo, erat terribilis

Quæ ſa-

Cæſarea Aquila, roſtro & vnguibus æuiterno cruciatu inteſtina eius depaſcens. Cuius argentea vaſa ex calicibus vt dicitur conflata, cum per plateas vilius diuendi viderem, ſubijt mihi in mentem aurum Toloſanum Quinti *Scipionis* Conſulis, quod malè partum, malè quoque eſt dilapſum, cum raptoris miſerabili interitu.

178 Inter alios libros vnus latine M. S. eſt BVQVOIO oblatus, deinde *Cæſari*, de integro prouentu annuo exigendo, ab vniuerſis *Bohemis*, Eccleſiaſticis, Nobilibus, Ignobilibus, ipſoque vulgò, & ſuadebat, vt cum Agamemnone diceret: *ipſe quidem eripiam, ſi tradere fortè grauentur.* Hoc erat quod de *Nerone*, literis mandatum eſt: Eum nimirum nulli officium delegaſſe, niſi hoc adiecto: *Scis quibus mihi eſt opus, hoc agas ne quis quid habeat.* Vox ſanè prædone, quàm Principe dignior. Rectius longè reſpondet *Conſtantinus Chlorus* amicis culpantibus illum, quod in augendo fiſco videretur indiligentior, *Publica*, inquit, *opes rectius à priuatis habentur quam intra vnum clauſtrum reſeruantur.* Sed inquiet *Fridericus*, in vnicum tantū annum volebam bonorum omnium iſtum annuum prouentum, quod ad bellum non vltra paucos menſes duraturum opus eo haberem. Audio, at non credo.

Præſertim vt nunc ſunt mores, eo res redijt:
Si quis quid reddit, magna habenda eſt gratia:

179 Semper etenim auarus eget, & deceptus cupidine falſa, nihil ſatis eſt, inquit.

180 Huius verò prædicti libri author, imitationem *Themiſtoclis* impenſius *Friderico* commendauit. Is enim apud *Andrum* argentum efflagitans, cunctantibus ciuibus ait: adduco ad vos duos deos, Vim, ac Suaſionem: quorū alteri neceſſe eſt, vt obtemperetis.

181 Ego verò *Bohemis* imitationem *Androrum* viciſſim commendo, dicentium, ſe quoquè duas magnas habere Deas, Inopiam, ac Impoſſibilitatem, per quas obtemperare nequirent. Vbi enim nihil reliquum eſt, Rex, vt vulgò dicitur, perdit ius ſuum. Si ergò velit lanam noſtram, ſinat primò proueniat, deindè eam tondeat, non deglubat. Olitorem inquit quidam odi, qui radicitus herbas excidit.

182 Certè mihi conſtat in *Bohemia* omninò deuaſtata præcipuos Nobiles, ſpoliatis, aut diffugientibus ruſticis (multi ſe quaquè verſus contulerunt) non habere quod comedant. Ex quorum numero vnus ſi rectè memini *Sternbergus* ex omnium Illuſtriſſimis, à BVQVOIO non dubitauit centum Florenos, vrgente vt ingenuè profitebatur neceſſitate, petere; cum adhuc eſſet inimicus. BVQVOIVS verò, qui nil vlli negat, & ſeſe non poſcentibus ſpontè offerre ſolet, trecentos illi ſtatim erogauit. Et tamen ab exhauſtis ità *Bohemis*, annuus prouentus non qualiſcunque, ſed qualis in ſtatu fœliciſſimo cuique obtingere potuit, à Rege aſcititio, precarioque, in primo regnandi anno, extorquendus erat.

183 Iam gratulentur ſibi Imperij Electores, & Principes Eccleſiaſtici, quòd coniunctis viribus hos vultures, qui cum puluiſculo omnia auferunt, & à mortuis, vt dicitur, tributum exigunt, à bonorum Eccleſiaſticorum dilapidatione, ac Religionis Catholicæ extirpatione, pientiſſimo pariter, ac prudentiſſimo conſilio, præpediuerint. Alioqui certè quæcunque impenderunt in FERDINANDI Cæſaris opem ſi Chriſto non dediſſent, fiſco ſeruaſſent.

184 Inter reliquas poſticas ſannas in *Fridericum* Palatinum fugientem iactatas in omni propè idiomate, nulla maiorem excitauit, vt audiui, riſum illa, in qua ad valuas *Legati Angli Viennæ*, tanquam ab aliquo præcone ſcribebatur in diuerſis linguis, Regem quempiam per infortunium non antè multos dies amiſſum, Iuuenculum nonnihil nigellum, ac luſcum, mediæ ſtaturæ, præſentiæ non inuulgaris, cui lanugo, ſeu flos veſtire genas inciperet, nomine *Fridericum*, ſuapte indole non peſſimum, ſed ſuggeſtione regnandi cupidum, Religione *Caluiniſtam*: Cuius inuentori, qui illum in illa domo ſiſteret, paratam eſſe magnam mercedem. Quid vultis? Leoni deuicto & lepores inſultant.

185 Decimo ſexto Nouembris poſt emiſſum à Statibus *Bohemiæ* iuramentum, & ſolemniter cantatum TE DEVM, Magnus *BAVARIÆ* Dux *Maximilianus*, ſubſtituto Principe à *Liechtenſtain* Generali Imperatoris Commiſſario, relictoque exercitu *BAVARICO* ad *Bohemiam* in officio continen-

dam,

dam, plenus gloria coram *DEO* & hominibus, ſæpius ſalutans, ac reſalutans per ſe, ac ſuos *BVQVOIVM*, ſui deſiderio cũctis probis relicto remeauit in *BAVARIAM*. Ad S.C. *Maieſtatem*, in laudem *BVQVOY*, Nouembris 20. ſcripſit in hunc ſenſum: *Non ignota S.C. Maieſtati, ſed dudum comperta, ac plurima eſſe BVQVOY benemerita. Se vidiſſe eum quamdiu ſimul eſſent in bellica expeditione nullis laboribus, aut periculis parcere, in promouendo S.C. Maieſtatis ſeruitio. Adeoq; non potuiſſe ſe minus facere, quàm hoc teſtimonium fidei, ac diligentiæ ipſius perhibere, ſimulque cum omni humilitate S.C. Maieſtati ſupplicare, vt ei fauere ſemper pergat, eò magis quod nunc affatim haberet quod ei conferre poſſet.* Exemplar verò harum literarum ad *BVQVOIVM* miſit in ſui erga eum ſingularis affectus teſtimonium; quo etiam conſtaret quanto deſiderio teneretur, vt ſibi ac ſumptibus conſuetæ hoſpitalitatis, quod ſufficere poſſet, BVQVOIVS ſe procurante haberet.

186 *Monachium* vigeſimo ſeptimo Nouembris ſanus, ſoſpeſque, ſed clam præ incomparabili animi qua eſt modeſtia, *BAVARVS* intrauit. Quæcunque illi erant præparata triumphalia vetuit erigi, & quæ erecta erant repentè tolli, in ſolum DEVM largitorem omnium bonorum quicquid præclarè factum eſſet referens.

187 Eodem quo *BAVARVS* diſceſſit die, *BVQVOIVS* cœpit longè peius ſolito habere, & grauiore febri laborare. Frequentia illi acciderunt ſymptomata, ità vt de eius vita medici iam deſperarent. Tantus indè dolor exortus eſt, vt qui in prælio lethaliter erant ſauciati, ne Duci ſuo ſupereſſent, emori cum illo optarent. Qui verò erant ægroti, aucto ſubindè morbo, mortis deſiderio lætabantur. Non defuerunt etiam qui capita ſua plurimis votis deuouerunt DEO, vt illius morbum, ac mortem ab eo in ſe transferre poſſent. Multùm mihi videbatur augere magnanimi hominis morbum ſuppreſſus internus dolor, veniebatque mihi in mentem *Agrippa*, qui teſte *Xiphilino* dicere ſolebat, *Principum eſſe morem, nullum ſibi ferre parem, Eoſque per ſe ſuſcipere bella, quæ facilem habitura eſſent victoriam. Alijs verò committere peſſima quæque, ac difficillima. Sibique tamen imputare omnem laudem, ac gloriam ab eis acquiſitam,*

tam. Quod voluit *Lucanus* dicens: *Nulla fides Regni ſocijs, omniſque poteſtas impatiens conſortis erat.*

188 Multis enim videbatur importune in *Morauiam* ad nouum bellum vrgeri BVQVOIVS tam graui morbo oppreſſus, cū frigidus ab intentiſſimo gelu, ac niuibus horror membra omnium quateret. Sed bona mens, bonus animus. A bona erga Rempublicam voluntate, fuit fortè hæc voluntas. *BVQVOIO* ingens è *Praga* abeundi calcar fuiſſe certum eſt. Statim enim atquè ſenſit ſe meliuſculè habere, *Praga* abire, & verò euolare feſtinauit, tanto ſemper meliore valetudine, quanto ab æmulatione (ſi vlla tamen erat) remotior.

189 Antequam tamen diſcederet, fecit vnum quod omnes mirentur, ſed pauci, (proh dolor) imitabuntur. Cum enim intellexiſſet ex bonis hoſtium allatam fuiſſe partem: à Secretario ſuo Primario (duos habet Secretarios; *Radam* Hiſpanum fideliſſimum, ac ſolertiſſimum, *Veſtraeten* Flandrum integerrimum, ac pientiſſimum; præter *Chatzenſtain* ſumptu Imperatorio Germanicis litteris deputatum) aduocato Patre *Henrico Fitzſimon* dixit hæc verba: *Lucellum neſcio quod videtur mihi accreuiſſe. Tu verò abi, & vtrum tutà conſcientiâ illud vſurpem diligentiſſimè perpende, Si fortè vel minimum onus conſcientiæ ſecum aſportet: per tuam fidem fac vt ſtatim reſtituatur.*

190 *Praga* duodecimo Decembris ſub horam ſecundam pomeridianam diſcedens, *Bohmiſchbrodium* eodem die emenſis quatuor magnis Germanicis milliaribus, peruenit.

191 Decimo tertio Decembris *Kuttenbergum* appulit, vbi oblatis ſibi tredecim equis hoſtilibus, nullum acceptauit: Oblata verò ſibi terra minerali nullius pretij, decem daleris munus compenſauit.

192 Decimo quarto Decembris, *Czaslaum* peruenit: in qua Ciuitate *Ziſcha* famoſiſſimi in Imperatorem rebellis Huſſitæ extat cum trophæis, & epitaphijs ignominioſum Chriſtianis *Bohemiæ* Regibus ſepulchrum, Ciuitati forſan aliquandò (ſicut aurea calcaria Francorum in bello *Agincourt* ab *Anglis* cæſorum *Courtracenſibus* in *Belgio*) ruinæ futurum.

193 Deinde per *Daitzbrodium, Iglauiam,* vulgò *Triglau,* in *Morauia*, decimo ſexto Decembris aduenit. In quem locum ſtatim acceſſerunt *Morauorum* Legati, quicquid ipſe mandaret impleturi. Ille verò nihil aliud ijs imperauit, quam vt Imperatoris omni arbitrio ſeſe ſtatim obſequentes præſtarent, exercituique *Cæſareo* victum tota hyeme, (qui hoſtibus *Cæſaris* victum, & vectigal ſoluiſſent integro ſeſquianno) præberent: quod libentiſſimè in ſe receperunt, odia deponentes, vt victos decuit, cum victor arma, quibus licuit in eos quodcunque libuit, depoſuiſſet. In qua etiam *Iglauia*, cum ante vnum annum à ciuibus Hæreticis potentia Hæreticorum in vicinia fretis, paſſus eſſet BVQVOIVS multa indigna, & ipſi præſcirent quantus eſſet ipſi munerum contemptus: opus putarunt eſſe aliquo aſtu, vt honorarium ab illis acceptaret. Itaquè iuniori *Lebel* inſigni ſanè equitum Præfecto in magna meritò apud BVQVOIVM gratia, dono dato, ab eo rogatus enixè *BVQVOIVS* omnis vindictæ vt qui maximè immemor, oblatum Honorarium non refutauit.

194 *Meſſeritij*, in Oppido ſcilicet Illuſtriſſimi D. *Ioannis* à *Berka* celebrauit Natalitia, curauitque Catholicis reſtitui templum, & *Deiparæ* Virginis imaginem per ſummum ſacrilegium ab Hæreticis in medio foro conſpurcatam, magiſtratus etiam hęretici interpoſitione, in priſtinum decorem repurgari. De militum verò inibi commiſſo ante aliquot dies atroci facinore, non ſine ſimplicitate præfecti Arcis, qui eos ſine mandato intromiſit, valdè indoluit, & in quos potuit, ſeuerè animaduertit, furtum tamen recuperare non potuit.

195 Vigeſimo ſeptimo Decembris per *Biteſch* peruenit *Eybeſthitzium*, vbi vſque ad Calendas Ianuarias in Morauorum plurimis difficultatibus cum ſumma omnium gratia expediendis, in tormentis, ac militibus luto propemodum impermeabili tardioribus expectandis, & in conſultationibus bellicis immanſit.

CONCLVSIO.

Hæc ſtrictim de parentis tui, Illuſtriſſime *Alberte*, quadrimeſtri progreſſu. Organum magnum is eſt magni *DEI*, in hoc

hoc anno mirabili orbem totum Chriſtianum maiori, quàm à multis ſæculis, beneficio afficientis *DEVS* autem inſtrumenta mirabilium ſuorum (& quidem ipſam virgam *Aaron* in Arca ſua) honore carere non vult. Hinc in parentem tuum (in quo *DEVM* veneror) meus cultus, & in re ſtudium, deindè hæc elucubratio. Abs te aliud in mercedem ambio nihil, quàm vt me authore illud *Apoſtoli*, parentem tuum imitando, ſemper in ore habeas:

qVI gLorIatVr, In DoMIno gLorIetVr.

Omne enim bonum de ſurſum eſt deſcendens à patre luminum. Deindè id faciendo, anni *Pragenſis* victoriæ, numerabilibus literis, memoriam, cum grati animi erga *DEVM* ſignificatione recoles. Quod ſi fortè in mercedem, id tibi patriſſanti (Patris liberalitas omne officium ſuperat maiori beneficio) minus ſufficere videbitur: Loco alterius remunerationis, caue ne ſtudia humaniora præproperè abrumpas. Veniat tibi in mentem *Carolus V.* ita apud *Paulum Iouium* tarda pœnitentia lugens: *Vtinam, atque ter vtinam monitis Adriani paruiſſem, iam non interprete opus haberem.* Intereſt enim apprimè Principum militiæ, ſine interprete (vt ferè fit ab Excellentiſſimo tuo parente) ſingulos intelligere. Nec aliud certè ſuaſurus eſt vllus, niſi ſit ipſe ignarus. Quicunque verò is fuerit, qui non eſſe ſagatorum, ſed togatorum affirmauerit, noſſe literas humaniores: cum inclyto *Arragonum* Rege ALPHONSO, ei reſpondeat: *eam vocem non eſſe hominis, ſed bouis.* His dictis, huic anno finem impono cum *BVQVOIANO* epiphonemate: *Qui gloriatur in Domino glorietur.*

BVQVOIANVM illud voco *epiphonema*, quod ille de hac victoria non ſuſtineat alium à Domino DEO, ſaltem ſeipſum, vllatenus laudari. Sicut *Paſcennius Niger* Imperator panegyricum ſibi dici prohibuit, ita parens tuus ſcripta in ſuam laudem prodire noluit: ſed cum *Tito*, capta *Ieroſolyma* coronas auerſante, quod vni (vt aiebat) DEO victoria deberetur, ſic ille vnicum DEVM FERDINANDO ſuo pientiſſimo militantem, viciſſe contendit. Quid me mordes, inquit *Sigiſmundus* percutiens ſibi immeritò applaudentem: ita BVQVOIVS vel mihi ipſi, (certè inemptæ linguæ, ac minimè mercenario,)

non ſemel dixit, cur de hoc me prædicas? cur de iſto laudas? Ità vt omiſſis ſubindè præcipuis encomijs, clam illo, & inuito, hęc ipſa à me ipſo viſa, aut à maioribus exceptione audita, ſine omni eius inſtructione luci dederim; forſan remunerandus vt alter *Marulus Calaber*, cuius poëma *Attila* concremauit quod regium *Hunnorum* genus ad DEOS retuliſſet.

Ad maiorem DEI *ac Deiparæ gloriam.*

APPENDIX ITINERIS, ET PROGRESSVS EIVSDEM BVQVOY, SVB ANNI 1621. INITIVM.

Tam proſpero Anno 1620. ſucceſſu, nihilo infœliciora erant currentis anni auſpicia (DEO ſemper fauente ſuo FERDINANDO) in melius, veluti aurora, ad maiorem ſplendorem perpetim tendentia.

A Blaſio Iaquotio I.V.D. conſultiſſimo, *BVQVOY* vt vocant, *Auditore*, ſtrenæ loco hoc eruditum, verum, ac quæcunque à me ſcripta ſunt ſummariè complectens, ipſis calendis Ianuarij eſt oblatum Sacrum.

QVà tibi percuſſas armorum fulgure gentes,
Multiuago ſpargit nuncia (1) fama gradu.
Qua modò (2) Pragenſis volitat noua laurea pugnæ,
Quaq; Palatinæ triſtia fata domus.
Quilibet attonitâ reputans tot adorea mente
Victoris faciem cernere, (3) & ora cupit.
Nec tam ſepoſita eſt, (4) nec gens tam barbara, cuius
Bellator caſtris nolit ineſſe tuis.
Quæ procul extremo terrarum quærit ab axe,
Armiferi quiſquis ſacra Tonantis amat.

1. celeberrimã eſſe Buquoy famã.
2. Pragenſis prælij gloria.
3. Deſideriũ Buquoy videndi.
4. Ex omni gẽte ei militare aliquos

Ipſe

Digitized by Google

Ipſe ſuo nunquam facilis benè ſarmata regi
Ad tua pernices iuſſa fatigat equos.
Obſequitur placidus, nec te niſi Præſide bellat,
Quem toties alibi vincere vidit Iber.
Atque triumphales ſpondet tibi Belga coronas
Hic, vbi contigerit ſe tua ſigna ſequi.
Degener, & Gothico labefacta Oenotria ferro.
Romanas iterum te Duce cernit aues.
Et modò parendi rudis Hungarus, arte, manuque
Iam didicit leges, iam noua frana pati.
Nec minus expoſitâ paret (5) *Germania mente,* 5. *Gratum eſſe Buquoium Germanis, in exteros Duces parum beneuolis.*
Quamlibet externos ante peroſa Duces,
Iura quidem ingenti caſtrenſia reddere turba,
Viderunt multos ſæcula priſca, Duces.
Sed varias animis, habituque, & robore gentes
Vnanimas parili ſubdere poſſe iugo.
Et modò caſtrenſes partiri ex ordine palmas,
Mox indiuiſas, ſed ſine lite, dari.
Contigit hoc ſolo ſub te Duce, Cæſaris olim
Sors iſtâ tantum parte reciſa fuit.
Nam ſub te quamuis totus prope militat Orbis,
Omnia concordi (6) *caſtra quiete ſilent.* 6. *Diuerſas ſub Buquoio gentes eſſe concordes.*
Belga ſagax, Italuſq; vafer, veloxque Polonus,
Belliger Hiſpanus, Pannoniuſque ferox:
Audax Germanus, Galluſque audentior, omnes
Mutua fraternâ pectora pace ligant.
Nec tibi dum placeat, primas (7) *ſibi vendicat vllus,* 7. *Faſtum nullum in exercitu eius eſſe.*
Sed perimit partes ambitionis amor.
Longa quidem claris quæſita potentia rebus
Addidit Imperio pondera tanta tuo.
Sed magis (8) *exemplis, quam iuſſibus omnia præſtas,* 8. *Buquoiū exemplo imperare.*
Nec tam dicta ſequi, quam tua facta decet.
Hinc quicunque probat quidquid facis, ac ſibi per te
Tentatum renuit pergere nullus iter.
Hinc licet innumeris tamen eſt mens gentibus vna,
Quas vnum æquali dirigit arte caput. 9. *Militum ſub eo fiducia.*
Inde per oppoſitos miles ruit (9) *arduus enſes,*

Cum prior intrepidum tollis ad arma pedem.
Vel quia ſe varijs prudentia (10) moribus aptat, 10. Ingenio omnium ſe.
Atquè inconſulta nil ratione gerit.
Congrua tot populis formas edicta, nec vnquam
A genio capiunt iuſſa remota ſuo.
Tironi oſtentas, veterano præmia confers,
Extera collaudas, ſed tua (11) facta premis. 11. Reticet præclarè à ſe geſta.
Præmia feſtinas meritis maiora, minorque
Conuictos ſequitur, tardaque pœna reos.
Fortia Magnanimis, Audacibus ardua mandas,
In vaga pernices expedis arma viros.
At dociles animi, flectique ad multa peritos,
Optima mutati (12) cura laboris agit. 12. Singulis mandat cõuenientia opera.
Proxima virtuti fraus, inſidiæque latentes,
Exercent vafras ad noua furta manus.
Præda auidis quærenda datur, ſpecioſa ſuperbos
Facta vocant, proprium cuique paratur opus.
(13) Atquè ita diſcretas animus, ſacriſque cohortes 13. Regi poſſe omnes ab vno.
Deuincit genij blanda catena tui:
Quotque ſemel tantum Saturnia viderat ætas,
Cultores aleret cum pia terra deos.
Hoc mundum viſis demonſtras artibus, vni
Humanum Domino viuere poſſe genus.
Macte nouâ virtute DEO gratiſſime Ductor;
Quâ reliquos multum ſis licet ante Duces:
Ne tamen humano tumeat tua gloria faſtu,
Donaque de cœlo (14) talia miſſa putet. 14. Deo omnia accepta debere Buquoium referre.
Quin ſuperis tanta vix ſunt data præmia ſortis,
Multiplices vna nectere pace globos
Nec malè morigeras niſi dum fugat æthere mentes,
Pacato regnat vel DEVS ipſe polo.

200 Eccè quomodò non vnius iudicio oſtenditur *BVQVOY* celeberrimam vbiquè eſſe famam: è prælio Pragenſi ſingularem eius eſſe gloriam: omnium videndi eum ingens paſſim deſiderium: ex omni gente plures ad eius confluere tyrocinium: Germanis eum, præ alijs hactenus militiæ Principibus,

pibus, eſſe gratum, diuerſarumque Gentium diſſidia, & diuerſorum Ordinum elationem ſub eo ceſſare: exemplo potius, quàm imperio eum ducere: fiduciam militum eo præſente eſſe grandem: ingenio ſingulorum ſeſe accommodare, & mandare conuenientia onera: Cæteros ab eo, non ſe laudari: quibus nec verius, nec certè præſtantius Ducum cuicunque conueniat præconium.

196 Cæterum cum omnia eſſent concreta gelu, & albicantia niuibus, BVQVOII tamen extiterunt multa præclara facinora. Delegauit enim quaque verſus ad fidelitatis iuramentum Imperatori FERDINANDO præſtandum, qui illud acceptarent plures Commiſſarios, præcipuè autem ſupremum annonæ Præfectum *Henricum Chriſtophorum Tonradel* liberum Baronem, in lingua Germanica diſertiſſimum, apprimè Catholicum, & in prouincia ſibi credita, ſolicitum. Nulla fuit obediendi repugnantia, ne quidem vt templa Catholicis furore Hæreticorum ablata, ſarta, tecta vbiquè reſtituerentur. In feſto Purificationis, cum pompa ſolemni Parochiale templum Brunenſe fuit reſtitutum, frementibus, frendentibuſque Hæreticis, extra Ciuitatem ſuâ orgya, ſi vellent, celebrare iuſſis. Eodem die, ante vnum annum cum quãta potuit fieri magnificentia, in idem templum illatum fuit Adami Windorferi miniſtri in Beatam Virginem Blaſphemi putidum cadauer, quod tamen clam extuliſſe dicuntur, vano timore ne in cineres redigeretur.

NVNC VERO QVIS, QVALISQVE SIT BETHLENVS GABOR, PAVLO FVSIVS EX ACTIS PVBLICIS EST DICENDVM. SIC ERGO IMPERIALI IN eum Decreto depingitur.

197 Eo ipſo tempore, quo, DEI benignitate, ac concordi Principum Electorum ſuffragio ad ſupremum Imperij faſti-

gium euehebatur FERDINANDVS II. vnius hominis, ſed qui conſpirationis ſuæ multos & potentes ſibi aſſeclas cõiunxerat, & cum rebellibus Bohemis vires conſiliaque ſociarat, effrænata dominandi libidine, atrox, ac periculoſum exarſit rebellionis incendium. Cuius nefandæ proditionis ac perfidiæ, non minus initia, quàm progreſſus, & exitus, dolo, fraude, tyrannide, deteſtabilia fuêre. Poſteaquam enim *Gabriel Bethlen*, Turcico exercitu inſtructus, Tranſyluaniam inuaſerat, Dominumque ſuum, cui iuratus erat, *Gabrielem Bathoreum*, poſſeſſione Tranſyluaniæ, deinde vita exturbarat, ſecuritati ſuę conſulendum, ac in eo vel maximè ſibi elaborandum exiſtimauit, vt cum Imperatore *Matthia*, fœlicis memoriæ, certas concordiæ rationes iniret. Inter cæteros autem, Anno Milleſimo, ſexcenteſimo decimo quinto, ſtabilitæ pacis articulos tàm à prædicto *Bethleno*, quàm à Tranſyluaniæ Statibus, ſyngraphis, ac Sigillorum impreſſione firmato Diplomate, promiſſum fuit: *Quod neq; contrà ſuam Maieſtatem, eiuſque legitimos ſucceſſores Reges Hungariæ, & Regnum, Auguſtiſſimamque Domum Auſtriacam, Regna, & prouincias, cum quibus Regia Maieſtas ſingularia pacta habet, vllo vnquam tempore, auerſam, vel hoſtilem prætenſionem habebunt, aut contra Regni Hungariæ libertates. priuilegia, quietem, aut tranquillitatem palàm, vel occultè quicquam fieri patientur. Quodq; idem Bethlen & ſucceſſores, vnà cum Statibus & Ordinibus Tranſyluaniæ, ſuæ Maieſtati, ſuiſque Succeſſoribus, legitimis, & Regno Hungariæ, quandocunque neceſſarium fuerit, contrà omnes eorum hoſtes (excepto Turca) omni ope, auxilio, viribus, & fidelitate aderunt.* Quæ omnia vt eò ſanctius ſeruarentur, quò arctius firmabantur, ruſum Anno Milleſimo ſexcenteſimo decimo nono, conſignatis Diplomatibus, eadem ipſa renouata, confirmata, atque ratificata fuêre. Et *Bethlen* quidē in verbo ſuo Principis, *bona fide*, Tranſyluani autem, *fide Chriſtiana* mediante, promiſerūt *tam per ſeipſos ſanctè & inuiolabiliter obſeruandos prædictos articulos, quā etiam per alios quorum intererit, obſeruari facient. ſucceſſoreſq; ſuos ad eorum obſeruationem in perpetuum obligatos velint.*

198 His igitur pacatorum fœderum ſtrictiſſimis vinculis, ſecuritati Hungariæ abundè proſpectum, neque FERDINANDO

NANDO ex parte *Bethleni* quicquam hoſtile expectandum videbatur. Verum, vix pauculis menſibus poſt fœdera renouata elapſis, contra fidem datam, de inuadenda, ac occupanda Hungaria, occulta nō ſolum cum nonnullis ſeditioſis ac perfidis Hungariæ proceribus, & incolis, ſed & cum rebellibus Bohemis, ac *Friderico* Palatino Rheni *Bethlenus* conſilia agitare cœpit. Nè qua verò tectæ machinationis indicia ex apparatu bellico, quem ſolicitè *Bethlen*, inſtruebat, in publicum prorumperent, ad primarios Regni Hungariæ officiales, iteratis ſcriptionibus, per ſummum fingendi ſimulandique artificium, commemorabat *Bethlen*, pactorum, conuentorumque ſibi memoriam non effluxiſſe, quorum vigore vnà cum vniuerſa Transſyluania arctiſſimè obſtrictum ſeſe meminerit, vt cōtra omnes hoſtes, omni opę, auxilio, viribus, fidelitate Maieſtati Regiæ præſto ſit; nunc tempus eſſe, quo dictorum, conuentorumque conſtantiām conteſtaretur. Aliquot igitur millia militum benè inſtructorum, contra Bohemos, actutum ſe miſſurum, ſi modò maieſtati Regiæ ità adlubeſcat. Transſyluanos quoque vt magis incautos circumueniret, ad arma expedienda, ac militem conſcribendum induceret, fœderum cum FERDINANDO initorum prætextu, acriter incitabat, vt iuxtà datam fidem, auxilia ſuæ Maieſt. ſubmittere non differrent. Poſtquam & Transſyluanis bellè impoſuiſſe, & à milite ſatis inſtructum ſe animaduertit, ſcriptis ad Generalem Caſſouienſem Magnif. *Andream Doczi*, literis, ſignificat Varadinum iter ſe adornaſſe, non dubitare, quin varij de ſe rumores ab æmulis circumferantur, quaſi Hungariæ inuadendæ conſilia agitaret; Cæterum monēre, atque etiam impenſius rogare, ne maleuolorum ſermonibus aures præbeat; nondum ſibi excidiſſe quid ex capitulationibus, ac fide data, Regiæ Maieſtati debeat. His alijſque verborum lenocinijs, adeò dictum Generalem, *Bethlenus* demulſit, vt nihil prorſus ab illo metuendum ſibi exiſtimaret, donec tandem ſub initium Septembris Anni præterlapſi, accedente Caſſouienſium perfidia, ac proditione, idem Generalis, captus, ac compedibus conſtrictus, ſub arcta cuſtodia in Transſyluaniam (vbi & vitam clauſit) à *Bethleno* mitteretur.

199 Deinceps verò, vi, terrore, rapinis, bonorum direptionibus, cædibus item, ac indigniſſimis, contumelioſiſque fidelium ſuæ Maieſtatis tam Eccleſiaſticorum quàm ſæcularium oppreſſionibus, graſſatus *Bethlen*, Hungariam ſuperiorem totam peruaſit, profanatiſque ac deuaſtatis Catholicorum templis, expulſis, vel occiſis Sacerdotibus, bonis Eccleſiaſticis occupatis, ac viris primarijs, qui fidem DEO, ac Regi coronato debitam violare renuebant, patria excluſis, ipſe ſibi ſub nomine *Principis Hungariæ*, Regni dominationem nefariè vſurpauit, & Poſonium vſque penetrauit. Vbi circumuentum Regni Hungariæ Palatinum, vi, metuque adegit, vt cum ſummo Iuris Regij præiudicio, quandoquidem Statuum ad Comitia conuocatio ad Regem tantum ſpectat, Generalem Diætam Regnicolis, Poſonium indiceret.

200 Quia verè armorum ſtrepitus, ac Tyrannicus terror conuenticulo Poſonienſi oderabatur, idcircò nefando, ac multis ſæculis inaudito ſceleris, ac perfidiæ exemplo, nonnulli complices *Bethleni*, præſtiti FERDINANDO homagij ſtrictiſſimam obligationem ſuſque deque habentes, Regiamque auctoritatem, quantum in ipſis erat, prorſus conuellentes, de *Bethleno* in Regem protrudendo conſilia inierunt: Status Eccleſiaſtici vetuſtiſſimam prærogatiuam abrogandam cenſuerunt: bona Eccleſiaſtica omnia profanis vſibus addixerunt: officiales Regios loco ac officio amouerunt cum dedecore: viros primarios tàm Eccleſiaſticos, quàm ſæculares quòd auſus nefarios calculis ſuis approbare nolentes furori rebellantium ſeſe ſubduxiſſent, velut Patriæ proditores, proſeribendos pronunciauerunt. Demum, ne quod ad extremum præcipitis inſaniæ complementum deeſſet, pernicioſam, ac rebellionum feracem, cum rebellibus Bohemis confœderationem ineundo, adſcitis eorum copijs, hoſtiliter Auſtriam inuaſerunt, Viennamque vbi tunc *aula Cæſarea* ſedes, progreſſi, incendijs, rapinis, cædibus omnia compleuerunt.

201 Attamen quoniam res ſuas necdum ſatis firmatas aduertebat, vt interea & ſua cum Turcis negotia ordinare, & Tranſyluaniæ proſpicere, & Polonico ſe metu liberare, & quonam Bohemicum bellum inclinaret, exploraſſe poſſet, conſueto

ſueto ſuo artificio vſus, ſimulat, ac promittit ſe effecturum, vt Hungaria ad obſequium FERDINANDI reducatur; ſed tempore opus eſſe, quo animi nonnullorum exaſperati, ſuis perſuaſionibus leniri queant. Itaque inducias ad feſtum S Michaelis duraturas ſtabiliri, toto hoc tempore in eo quo tunc erant ſtatu, omnia permanere, nec quicquam hoſtile ab alterutra parte attentari debere.

202 Vix induciæ ſtabilitæ fuerant, cum *Bethlen* nihil non egit, vt Conſtantinopoli per falſos rumores, rebus FERDINANDI depreſſis, hoſtium verò ſupra verum elatis, oſtẽtata occaſione, Turcam ad bellum contra FERDINANDVM gerendum concitaret: ipſe interim munitas Comitis Homonnay arces occupauit; Munkachium, Nitriamque iteratis vicibus milite circumcinxit: Germanorum turmam, ſine cuiuſquam noxa, ſecundo Danubio Iaurinum vectam, hoſtiliter inuaſit: Comaronienſe fortalitium Haydonum obſidione non ſemel cinxit; ex arce Poſonienſi, Germanorum præſidium exturbauit: innumeraque alia pactis inducijs aduerſantia perpetrauit. Tandem, primario Regni Hungariæ Statu abſente, totius Regni Sclauoniæ Legatis, ac plurimis Magnatibus non comparentibus, multis Comitatuum Nuncijs, iuxtà inſtructionem ipſorum, penitus abnuentibus, ipſis verò Comitijs per Legatos Maieſtatis Regiæ iam diſſolutis, ne quid ritè vlterius tractari poſſet, cum pridie certa mors refragaturis denunciata fuiſſet, à paucis perfidæ rebellionis concitatoribus, tumultuaria factioſorum conclamatione, 25. Auguſti ſeſe Regem Hungariæ pronunciari voluit, inducijſque palam reſciſſis, Nitria expugnata, copias ſuas in Auſtriam cis Danubium immiſit, ferroque omnia populatus, arces, oppida, limitaneaque præſidia regia occupauit.

203 Quibus rebus per vim, & fraudem geſtis, iſta quoque addidit; quòd quemadmodum in Tranſyluania, vt Turcarum gratiam demereretur, valida Chriſtianarum ditionum propugnacula, magnis Rom. Imperij ſumptibus ſub Sigiſmũdo Bathoreo à Turcis recuperata, videlicet *Lippam*, *Salymos*, *Totuaradgya*, *Margita*, *Monoſtor*, *Arad*, *Syri*, & *Faeſath*, vi, & armis occupata, Turcis tradidit, ita nunc in Hungaria, Limi-

tanea præſidia iiſdem Turcis conſignare cœpit, tradiditque nuper *Vaczium* Epiſcopalem ſedem, inter Budam & Strigonium oportuno loco ſitum, magnis olim Hungariæ Sacrique Imperij impenſis recuperatum, atque defenſum.

Alius de eodem.

„ 204 Eum adeò Turcis eſſe addictum, vt etiam *Machometi*, maxima ex argento candelabra, pro munere miſiſ-
„ ſe dicatur, & potius cum Turcis, quàm cum Chriſtianis fœ-
„ dus habere velit. Hactenus de illo.

203 *Hoc verò totum palam detegere* (ait de re non abſimili S. Irenæus) *nihil aliud erit quàm feram in ſylua latentem in planum educere, quo facto non erit opus exhortatione, vt omnes in tam immanem beſtiam eiaculentur.* Fera autem illa noſtro Belgico Hectori cicuranda debetur: vt alter taurus ab Hercule cicur, Cretenſi Regi E[illegible]yſtheo oblatus. Sed anni exordio, non prorſus, & omninò (cum plures artes nouerit quibus ad tempus euadat) debellandus eſt, veluti ad tertium fortè, quartumve anni menſem ad maius bonum ſeruatus. *Vides tyrannum illum* (inquit Lipſius) *qui minas ſpirat, & cædem, cui voluptas nocere eſt, qui perire ipſe optat dum perdit? ſine: aberrabit à ſua mente, & DEVS occulto quodam fune inſcium, inuitumq́; trahet ad ſuum finem.*

206 Hic inquam *Bethlen Gabor*, ciuitates ſuper Morauam fluuium, ne nos procliuem aditum in Hungariam haberemus, non inconſultò præoccupauit.

207 Nimirum id indignatus *BVQVOIVS*, gelu, niuibuſque ſpretis, 22. Ianuarij Raditzio mouit. In ipſo ſtatim egreſſu comparuerunt denſis agminibus Hungari, præ ſe ferentes alacrem cum Imperatorio exercitu confligendi voluntatem. Viſis tamen noſtris animosè obuiam venire, in fugam ſe in vicinum oppidum Oſtram dederunt. Manſit verò BVQVOIVS, in pago Naydorf (ſuppoſito ab Hungaris, ne nobis eſſet diuerſorium, quo ferè rudera ſola oſtendit, nondum extincto igne) flagrante.

208 Die verò 22. ſummo mane in eos inſtructa acie

egreditur *BVQVOIVS*, in quem quoquè in apertum campum copias ſuas in ſpeciem egregiè animoſas eduxerunt. At quatuor ſolummodo campeſtribus tormentis ſemel tonantibus, derelicta nobis Oſtra, cum caſtro, dilapſi ſunt. Sed ibi non ſubſtitit BVQVOIVS, Hungaris potius quàm ciuitatibus, & pugnæ quàm prædæ libentius in ſiſtens: Adeoq; illos perſequens ad ciuitatem, Caſtrumque Weſſely, & indè Strasnitzium, tandem veſperi illos in loco munitiſſimo, paludibus circumfuſo, deprehendit. Maiorem hic quàm alias vnquam (in loco quo etiam in mille commodiſſime vel centum validi valere poſſent) fiduciam oſtentabant, re ipſa tamen Epio timidiores. Nam cum noctè inſtante non poſſet *BVQVOIVS* illos tam iniquo loco lutoſo, arcto, demiſſiore, vt impenſiſſimè optabat, aſſequi: tota ferè nocte peruigil, cum ſummo mane in illos ſpe bona ſuperandi vniuerſa obſtacula mouiſſet: ne quidem vel à longè vllus comparuit. Tam difficiles tamen reperit ad illos, ſi obſtitiſſent, aditus, vt vix penetrare potuiſſet. Sed virtus laboribus enireſcit, & aſpernatur decliuem facilitatem, iuxta illud Claudiani:

Vile decus, quod non erexit prauius horror.
Ingentes geminant diſcrimina magna triumphos.

209 Straſnitzium ergò occupauit, & eo non contentus perrexit ad Skallitz, in ipſo limine Hungariæ. Ciuitas autem venienti, per Magiſtratum miſit claues. Itaque Oſtra, VVeſſely, Straſnitz, Skallitz ſolo triduo, in hyemis aſperitate maxima, noſtræ factæ ſunt poteſtatis, & ſecũdus hiſtrionicus Rex *Bethlen Gabor* ex Morauia exturbatus, & in fugam actus.

210 Quibus peractis, Viennam 28. Ianuarij profectus eſt BVQVOIVS, bonam rationem villicationis ſuæ *Cæſari* redditurus.

211 Ianuarij 29. Viennam poſt ſolis occaſum BVQVOIVS peruenit, gratus admodum *Imperatori* hoſpes. Cui cum plures hoſpitium offerrent, Orator Hiſpanus, Excellentiſſimus Comes Onnate, non ſolum obtulit, ſed beneuolentiæ inſtantia, (cui non fuit BVQVOIVS reſiſtendo,) ad plures dies obtruſit.

212 Die

212 Die 2. Februarij & ſequentibus, Cæſareæ Maieſtati ex *Pragenſi* ſolo prælio (demptis aliquot ſignis ab exercitu *BAVARICO* acquiſitis) vexilla octuaginta quinque tradidit. Ita vt ab initio huius biennalis belli, centum ſexaginta dinumerentur ſigna hoſti adempta, ac *Cæſari* à *BVQVOIO* oblata.

213 BVQVOIO verò quid ab Illuſtriſſima Deiparæ Virginis Sodalitate Viennenſi, in Collegio Patrum Societatis IESV, fuerit ſtrenæ loco oblatum, tam pietatis Sodalium (plerumque Illuſtrium, tenerorum, & immaculatorum) quorum tam ſancta ſtudia, quibuſuis encomijs ſunt maiora, quàm eorundem erga BVQVOIVM beneuolentiæ, quæ loquax res eſt, & hoc Xenio oſtentatrix ſui, maioribus quàm certè ille volet encomiorum titulis, declarandæ cauſa, omittendum non putaui. Sic ergò illi.

Xenium.

Anno M.DC.XXI. fœliciter reduci,

EXCELLENTISSIMO, ET ILLVSTRISSIMO DOMINO, DOMINO CAROLO COMITI A BVQVOY:

Auguſtiſſ. Roman. Cæſ. FERDINANDI II.

214 Inuicti exercitus *Generali* fortiſſimo: Glorioſiſſimo Regni Bohemiæ, vi, & armis, recepti *triumphatori*: Marchionatus Morauiæ arte, & marte reſtituti *Domitori*: Nobiliſſimæ noſtræ patriæ *Auſtriæ*, expulſis hoſtium copijs, *Pacificatori*: Malorum, & Rebellium, Conſtantiſſimo *Euerſori*: Bonorum omnium fideliſſimo *Conſeruatori*: Aurei Velleris fortiſſimo *Equiti*: Illuſtriſſimæ Congregationis *B. MARIÆ* Virginis

nis in cœlos aſſumptæ *Sodali*, & *Patrono* Pientiſſimo, Munificentiſſimo, ab eadem congregatione B.M.V. Viennæ, è penu ſpirituali deſumptum demiſſiſſimè, cupidiſſimè oblatum, ac vt diu fœlix, ſuperſtes, Glorioſus, Victorioſus Eccleſię Catholicæ, Sodalitati B.M.V. Toti Reipublicæ Chriſtianæ, bonis omnibus, pace, & armis inclytus viuat, vigeat, perennet, per idē Xenium à *DEO* ter *Optimo Maximo* animitus poſtulatum.

215 Roſaria 200. Officia B.V. 200. Sacra 260. Communiones 260. Pſalmi Pœnitent. 80. Litaniæ B.V. 200. Litaniæ S S. Nominis Iesv 200. Litaniæ Omnium SS. 200. Litaniæ S. Spiritus 200. Ieiunia 60. Cilicia 60. Diſciplinæ 60. Hæc illi.

216 Ab Hungaris graſſatoribus præſidia vicina die, noctuque vexabantur, captis ſæpiſſimè, atque abductis hominibus pluribus, ac iumentis pabulatum emiſſis. Fauebat gelu intenſiſſimum, quo foſſæ, paludes, ſtagna congelata, ſecurum præſtabant acceſſum. Noſtri tamen eorum inſidias foſſis ciuitatum, ac arcium continuo motu, ne congelarentur impeditis, fruſtrarunt. Factum enim eſt nō ſemel, vt Hungari clam, & ſecurè venientes, regelatis agitatione foſſis, ſua ſpe occupandi loca, exciderent; vt *VVeſſely* conſueta belgica prouidentia, ac praxi *Don Gulielmi Verdugo*, & *Oſtræ* ſolerti induſtria *Petri Antonij La Motte*, ac alibi aliorum Præfectorum veteranorum militari peritia.

217 Februarij 25. circa mediam noctem, duodecim millia hoſtium partim Huſſarorum, partim Hayduccorum, partim ruſticorum, *Stranitzium* occupare voluerunt. In præſidio erat *D. Ioannes Guilelmus Diticouen* Vicarius-Collonellus Illuſtriſſimi Comitis *Fuggeri*, cum Polonis. Hic verò Vicecollonellus certior factus de aduentu eorum, admonuit vicina præſidia, vt ſubſidio eſſent, potiſſimum verò *Don Guiel. mum Verdugo* Weſſelij ſibi maximè propinquum. Deindè cum vaſta ſit ciuitas, ſuos in forum quatuor magnis plateis patens, ac expoſitum, congregauit. Hoſtes nullo obſtante potiri portis, mœnijſque, certiſſima victoriæ perſuaſione inſenſiſſimi in forum feruntur: ſed validè à Germanis militibus cum maxima ſua laude, repelluntur; Polonis ęgerrimè in principio

cipio auxilium ferentibus. Hoſtes noſtris decuplo plures, vt ipſi non ignorabant, ſuo numero, ciuiumque perfidia freti perrumpere volentes, quatuor integris horis acerrimè inſtiterunt, multis hinc, & indè cadentibus. Audito autem claſſico, ſeu armorum ſtrepitu, diſſonoque pugnantium barritu, viſoque ab Hungaris excitato incendio, *Don Gulielmus Verdugo* periclitantibus ſocijs præclaro ſtratagemate opitulatus eſt. Omnes enim tympaniſtas emiſit, qui VVallonicas ſuppetias, tympanorum pulſu VVallonibus peculiari, aduolare ſimularent. Nec caruit ſtratagema optato, ac præuiſo euentu. Nam ſimul ac excubitores territi renũciarunt ſuis pugnantibus ſocijs, VVallones eſſe magno numero in proximo: magno correpti terrore, quà cuique licuit, per mœnia, per aggeres, perque omnes exitus, nullo ſeruato ordine diffugerunt. Polonis, Germaniſque, in trementes, ac turbatos (occiſis quadringentis, ſigniſque relatis tredecim) facilis fuit victoria: qua ſeptuaginta ſuorum occiſos, totidemque grauiter vulneratos, egregiè vindicarunt. Præclara certè eſt hæc legio *Fuggeriana* fide, fortitudine, facilique obſequio. Ad DEVM quoquè apprimè per Patres Societatis IESV eſt exculta, ſequiturque non minus probiſſimos Illuſtriſſimi Ducis ſui mores, quàm lituos. Cui toti legioni maxima laus, vt etiam Polonis à fortitudine inſigni, nec non *Don Gulielmo Verdugo* de opportuno ſtratagemate, eſt tribuenda.

218 *Æmilius Miga*, Pedemontanus Taurinenſis, Martij 7. *Hainburgij* in Auſtria, vbi tum *BVQVOIVS* fortè erat, quod ſine publica fide veniſſet, & perplexè excubitoribus reſpondiſſet interceptus eſt: quem *BVQVOIVS* preſſius examinandum, adeoque ſecum iudicauit aduehendum *Viennam*, quod à *Bethleno Gabore* homine perſpicuè perfido, ad facinus aliquod deſignandum ſuſpicione probabili, aduenisset. Etenim verbis licet parcus, tamen ad varia reſpondendo, nõ multum ſibi conſtans viſus eſt. Vultu quoquè erat trux, geſtu audax, corpore robuſtus, animo, vt pluribus videbatur, remorſu aliquo anxius. Eum tandem ab alijs ritè examinatum, *BVQVOIVS* ipſe ſemotis arbitris excutere vlterius voluit, multiplicique, ac tortuoſo ingenio hominem (vt eſt ſolertiſſimus) eſſe

eſſe deprehendit. *Timida ſemper eſſe ſolet nequitia, & impietas contubernalis mala eſt fiducia.* In illo equidem vacillante, ac palpitante, veluti dira mens conſcia facti haberet (vt dixi) attonitum, id locum perſpicuè habebat. *Hoſtem protinus ſenſiſſe, ſuperaſſe eſt.* Aditum ergò nocendi quem perfido præſtare poterat fiducia, ſenſit tandem BVQVOIVS præcludendum, gladio vt ſe tueretur ſibi petito, ac in manus aſſumpto. Nouum id quidem in eo qui Satellitium ſpernit, excubitores arcet, timereque neſcit, fortè tamen ſalutare fuit, & res, vt ait quiſpiam, diffidendo retenta. Sceleſtus enim ille iterata cultri ingentis ad exitium cuiuſpiam præparati vana quadam oſtentatione, & infœlici deindè ſubſecuta morte, pleriſque planè viſus eſt à *Bethleno* emiſſus in BVQVOIVM ſicarius. *Quem enim quiſque metuit* (*Hommanay* ſit teſtis) *periiſſe cupit.* Tandem verò à BVQVOIO in carcerem ſubijciendus quæſtionibus noſter emiſſarius ſaltem creditus demittitur. Verum perditiſſimus homo, immò ſub ſpecie humana, maturum gehennæ pabulum, & infernalium carnificum inconſumptibile holocauſtum, ſibi violentas manus, ſeptemplici cultri ictu, ea ipſa hora conſciuit, nobis de BVQVOIO conſeruato DEVM laudandi, ipſique vt neget ignotis nocendi poteſtatem relicta cauendi occaſione.

219 Non ſuccedente ad votum Quadrimeſtri Commiſſariorum Imperialium, ac Hungarorum diſceptatione de pacis conditionibus cum *Bethleno Gabore*: FERDINANDVS II. Imp. clementiſſimus ille quidem, ſed in peruicaces ſeuerus, tandem imperata armata intimare illis decreuit. Sub Paſcha igitur exercitum in Hungariam dirigi imperauit. Feria ſecunda, tertia, ac quarta, proximis à Paſchate, per ſecundum Danubium aduehenda *Hainburgum* proſtant tormenta, & quindecim circiter millia militum iuſſa ſunt confluere *Maretum*. BVQVOIVS quoque abiturit, optima in DEVM ſpe, ac voluntate præſtandi pro FERDINANDO optimo, optimum obſequium.

220 Modeſtiæ interim, ac contemptus ſui idem BVQVOIVS edidit hoc ipſo die Aprilis 14. inſigne exemplum. In eum prodijt libellus famoſus lingua Italica, omnem glo-

riam

tiam prælij *Pragenſis* tam ipſi, quàm toti exercitui *Imperatorio* ademptam, per millena palpabilia mendacia D. *Tilio* BAVARICI exercitus Generali, tranſcribens. Quem librum Bibliopola quidam *Viennenſis* ignarus linguæ Italicæ diſtrahebat. Audiens verò ſubeſſe ſibi hoc libro periculum libellos famoſos diſtrahentibus debitum: BVQVOIVM trepidus acceſſit, oblatis illicò omnibus exemplaribus Vulcano, ſuamque ab ignorantia culpam remitti ſibi demiſſiſſimis precibus expetens. Cui BVQVOIV ſait: ne incomburas exemplaria tua, ſed liberè, ac audacter diuende, cum fidem nulli facient, niſi ei qui illud ſibi ſpontè deſiderat. Reliqua laudent alij: ego certè hoc mirificè ſuſpicio, tantum in contemnendis iniurijs, ijſque atrociſſimis extitiſſe BVQVOIVM, quantum in emerendis honoribus ſe geſſerat. Quibus dictis iam accincto illo bonis vt planè confido auibus in Hungaros, dicam ex *Lamberto Van Vlierden*, pio, ac laudato Poëta:

Di caput hoc ſeruate, virum ſeruate ſecundi,
Fratribus Auſtriacis, Cæſaribuſque pijs.
Di ſeruate virum Belgis, ſeruate Philippo,
Viuat & Alberto redditus Archiduci.
Sic tamen vxori vt redeat gnatoque petenti,
Poſtulat hic patrem flagitat illa virum.
Sic tamen vt victor redeas, & in hoſte triumphes,
Auſpice ſupremo Carole perge DEO.
Te duce victrices aquilas Germania cernat,
Sentiat inuicti Cæſaris arma Gabor.

AMEN.

Hac tertia editio, editioni primæ Brunenſi præferenda eſt, vtpotè ab ipſo authore pleniùs informato recognita.

TYPO-

TYPOGRAPHVS

LECTORI B. S. P. D.

AMice Lector, ſequentem pugnæ Pragenſis deſcriptionem aliàs breuiter, idque ſæpius editam, huic poſtremæ editioni, ad maiorem rerum geſtarum intelligentiam annectere non piguit. Vbi verò progreſſus in Hungariam & alias Imperij partes materiam ſubminiſtrauerit, eodem Auctore rei geſtæ participem te faciemus.

DE PRAELIO PRAGENSI, PRAGAEQVE Deditione, Octaua & Nona Nouembris M. DC. XX.

NE REM Actam agam, omiſſa Rebellione Bohemica, eiuſque in DEVM Blaſphemijs, in Sanctos ſacrilegijs, in Catholicos ſceleribus, quæ vel mentis captum excedunt, Hæreſique ſunt adiuncta: de ſolo Prælio Pragenſi, ac Pragæ deditione ſtrictim agere inſtitui. Camelus noſter Palatinus, qui cornua affectans, amiſit aures, iam Regno deturbatus & Comitatu, impleuit illud cuiuſdam Chronicum Vaticinium:

I. Tibi

I. *TIbI, FrIDerICe AVgVrIVM.*
II. *CoMes fVIſtI, non ReX, ſed Inſane aſpIrâſtI:*
III. *CItò neC ReX, neC CoMes erIs, qVIa CæſarI rebeLLaſtI.*

Quæ Prædictio non opus diuina reuelatione habebat, ſatis enim erat per ſe notum, iuxta illud:

Hic ſolet Euentus acta cruenta ſequi.

Gratulabatur ſibi Palatinus Chronico hoc Epiphonemate:

FrIDerICVS fIt ReX BoheMIæ.

Quin & aliud adiunctum hoc vidi Augurium:

FrIDerICVs IMperator VIVat.

At Magna cadunt, Inflata crepant, Tumefacta premuntur:
Siquidem, *Violentia Imperia nemo continuit diu.*

Regnauit tamen, vel potius Rex Bohemiæ, quamuis theatralis, ſalutari voluit. Nec defuit pernicioſa Adulatio, Regum perpetuum malum, quod eos ſæpius, quam Hoſtis, euertat, quo Rex, ſi Deo placet, *Fridericus* à Bohemis habitus eſt. O tempora! ô mores! Veriſſimum ergo illud:

Propter Delicta Terræ, ſæpè mutantur Principes:
Nec non iſtud: *Regnum de gente in gentem transfertur propter Iniuſtitiam.*

Cedrenus ſcribit, quendam religioſum, *Phoca* regnante, ipſi Deo intendiſſe litem, quod cæteris omiſſis, tam impium Chriſtianis impoſuiſſet Imperatorem: cui voce è Cœlo delapſa reſponſum eſt: Neminem deteriorem poſuiſſe quidem inueniri; at hoc meruiſſe hominum vitia. Id tibi, Bohemia, dictum puta. Tuę Rebelliones perpetuæ, tuæ Hæreſes impiæ, tua enormis nequitia, hunc tibi Pſeudoregem, *Fridericum*, ſpreto *Ferdinando*, Regum ſpeculo, accerſiuerunt, & cum Rege aſcititio, tot quot ſuſtines mala. Sed & parum abfuit, quin ipſum Turcam tibi præ Ferdinando Regem precibus pretio-

que

que adoptares. Deus vtique Clementiſſimus ille quidem,ſed ſimul iuſtus:

Auferre mentem talibus primum ſolet,
Caliginemq́, effundit,vt ruant ſuas furenter in clade:

Quod ſi in reprobum ſenſum non fuiſſes tradita, *Ferdinando Auſtraico* Regi tuo pientiſſimo,ac potentiſſimo,in quem ritu ſolenni ſponte iuraſti, *Fridericum* impotem mentis ac ætatis iuuenculum (quem etiam Praga erubuit videre,præter omne decorum ſcurris immixtum natitaſſe,& vel perſonato Regi loquendo agendoque imparem fuiſſe)ſuum Rebellione auguſtiſſimum genus obſcurantem, per execrabile periurium,ſummumque nefas,non prætuliſſes, neque tot ſtragibus ac cladibus,tot ciuitatum euerſionibus,tot Chriſtiani ſanguinis fluētis,tot locorum incendijs, tot agrorū depopulationibus cauſas quàm plurimas præbuiſſes. Ad Turcam Chriſtiani nominis hereditarium atque iuratum Hoſtem, in Imperij ſinum ac viſcera illexiſſe,vipeream Caluinæ Indolis, quæ materna ſemper effodit viſcera, & fruſtra cum Turcis iam dudum colluſit (vt paſſim *Proteſtantes* ipſi confirmant) redolet nequitiam. Neque aliter facient illi vnquam, quam quos infecerunt ſuæ hæreſis veneno,eoſdem vt miſerrimæ captiuitatis mancipent iugo. Alterum enim alterum ſequelæ neceſſitate (teſtes ſunt Inductione vniuerſæ Caluiniſtarum ſedes) ſequitur. Quod non diſſimulauit Ioannes Schutz, non ille quidem Catholicus,ſed Lutheranus, penultima ſuarum cauſarum inquiens: *Mahometiſmus, Arianiſmus, Caluiniſmus, ſunt fratres & ſorores, & tres Caligæ eiuſdem panni*, quæ ſeparari renuunt. Vnde etiam *Betlem Gabor ad Schenderem Baſſam.* IV.Nouem. Anno M. DC. XIX. in literis,quæ iam vbique proſtant, ſic ſcribit: *Totum Regnum Bohemiæ, Regnum Morauiæ, Regnum Sileſiæ, potentiſſimo Imperatori Turcico FIDVM & beneuolum effecimus:* poſtquam ſcilicet Caluiniſtis ea Regna ſubiecimus. Egregia verò laus,ſed pergo. Hęc tādem Turris Babylonica,laus, Deo, iam funditùs corruit. Etenim *Vis conſili Expers mole ruit ſuâ.* Fruſtrà interceſſit magna Britannia fuco Oratorum,quos ſpernendos eſſe , Elector Saxo egregio exemplo docuit. Fruſtrà

fuit perfida Hungaria, ac Hollandia, ſuppetijs auxiliorum. Fruſtra fuerunt caſſa vota Hæreticorum ac Atheorum. Tandem enim Sedes Impiorum deſtruxit,& ſedere fecit mites pro eis, qui ſequitur ſuperbos vltor à tergo Deus.

Idque voluit fieri in Octaua Omnium Sanctorum, quos ipſi ſpuentes in Cœlum deteſtati ſunt. Voluit quoque id fieri Dominica XXII. poſt Pentecoſten, in qua legi aſſolet Euangelium, quo præcipitur, *Reddenda eſſe Cæſari, quæ ſunt Cæſaris*, vt intelligerent, Cæſarem per ſummum nefas à ſe fuiſſe abiuratum. Voluit denique id proximè præcedere dedicationem Baſilicæ Saluatoris, vt Baſilicarum violationem prouocaſſe hanc ſibi pœnam, vel nolentes agnoſcerent. Prius quidem Raconitziæ illi, qui noſtros in ſiluis deliteſcere, voce ſcriptoque ſparſerant, ſolius primæ aciei prima (Italorum) ſed præferoci legione, ex ſylueſtri ſtatione anteriore, vt etiã ex templo muris obſepto, fruſtra obſiſtentes, profligati ſunt. Deinde vt æquo Marte confligerent aliquoties laceſſiti ſunt. Sed illi ruſticorum, (quibus abundabant, ligioni, raſtro, vallis aſſuetorum) labori in aggeribus erigendis improbo, & editiori colli confidentes, prodire renuerunt. Optimo igitur conſilio, arcem totius negotij, Pragam inuadere placuit. Animi pendebant perduelles, quid tum facerent. Vt Pragam, caput Regni gratis ſibi tolli permitterent, horror fuit. Vt vero illam propugnarent, timor vetabat. Sed quid deſperati (quos temerè aggredi magni Duces detrectarunt) non præſumunt? Vehemens res eſt, dura Neceſſitas, vbi quis interire debet, ac perire conſtituit.

Aciem igitur in Pragenſium conſpectu iuxta Palatium *Stellatum*, loco longè ſublimiore inſtruxerunt. Bauarus Dux, cuius nomen ſit in Benedictione (cum Chriſtum Cognato, Bonum publicum priuato, legitimum Regem Inuaſori antetulerit) præclarum exercitum exercitui Imperatoris, cui *Buquoius* ille militari gloria celeberrimus præfuit, libens coniunxit. Ita tamen acies vtraque diſpoſita eſt, vt Bauaricæ copiæ a ſiniſtris, Boquoianæ à dextris, quatuor phalangibus peditum & quindecim turmis multiplicibus Equitum, impreſſionem facerent. Signo dato, Bone Deus, quale tonitru tor-

mento-

mentorum, ſtridor lituum, clangor tubarum, militum ardor (Leones videbantur non Homines) fuit. Inito conflictu, *SALVE REGINA* (ſubeunte Bauaro ac Buquoio vicem reſpondentium) lectum fuit. Nec fruſtra, irruit enim celeri noſter Exercitus gradu in ſublimiorem ſitu, & à dextris ſaltu muris incincto defenſum, ac tutum Hoſtem, tormentis fulminantem, clamoribus rugientem, fiſtulis teliſque nequicquam repugnantem. Pugna neutro inclinata ſtetit aliquandiu; & illi pro Aris focisque, quoad licuit, obſtiterunt, ſed fortioribus ac cauſæ bonitate fruentibus, ſenſim cedere coacti ſunt. Equitatum quidem cornu vtriuſque, ac Lincenſes perdites, fortiſſimi eorum aliquot paſſus retroegerunt, ſed continuò ſuccurrentibus ſocijs, ordine quem omnes belli peritiores admirati, ad imitationem meritò ſibi delineari curant, in præcipitem fugam, relictis tormentis, repulſi ſunt. Et à ſiniſtris Bauaricus exercitus egregiè inſtans, Fortalitium ſublimius, fuſis fugatiſque hoſtibus expugnauit, duoque tormenta acquiſiuit. Emicuit *VValonum* (quod omnes dicunt, ac ſine inuidia dici debere conſentiunt) ardor, quoad portas ipſas Pragenſes, præeunte ſtrenuiſſimo, ac militari multorum annorum gloria celeberrimo *Don Gulielmo Verdugo* (non ſolum viam vi aperiente, ſed & manu propria Hoſti Vexillum ac libertatem extorquente, quin immò *Anhaldi* primogenitum exarmante, & ſuum captiuum faciente) aduerſarios panſis vexillis inoffenſo pede ſubſequentes, ad Deditionem vſque ſunt perſecuti. Sed & vtriuſque exercitus Virtus reſplenduit tanta, cui nec muri ſaxei (quos certè oculis meis vidi *Pragoditzia*, ac *Piſca* altos triginta pedes ab illis felium inſtar ſcandentibus ſuperati) nedum vis hoſtilis inexpugnabilis haberi poſſet. Haud alioquin pane aliquot non diebus tantum ſed ſeptimanis indigentes, ſub dio in hyeme, (quæ in Bohemia citius ſæuit) algentes, vicino ſemper hoſtili exercitu vigilantes, noctu dieque itinerantes, animis ad confligendi tempus ſtetiſſent.

Quanta denique eorum fuerit fortitudo, non mea verba, ſed reportatæ exuniæ loquantur: Vexilla nimirum, quà peditum, quà equitum, plus minus Octuaginta, & in ijs Regium, in quo ſphera cum hoc Emblemate, *Diuerti neſcio*, cum ta-

men *Fridericus* & diuerſus & peruerſus, ſubuerſus & auerſus paſſim cognoſcatur. Nec etiam puduit eum, cum Vexillo, *Periſcelidem* auream, Equeſtris ſupremi in Anglia Ordinis teſſeram (cuius iactura maximè habetur infamis) vni Wallonum prædam reliquiſſe, adeo omnis illi ſalus pernici fuga conſtabat.

Aliud Vexillum habebat; *Bonam cauſam tandem vincere.* Omninò ita eſt, vt euentu iam liquet, adeoq; *Friderici* alienum Regnum anno tantum vnico perfidè occupantis, deinde à ſummo Regni culmine decidentis, & quo ſecurè ſe vertat neſcientis, cauſam fuiſſe iniquam. Hæ inquam tot Vexillorum manuuiæ, tam paucis noſtrorum cadentibus, integro hoſtili exercitu diſſipato, victores abſque me abundè commendant.

Centum fortè ex noſtris partim cæſi, partim ſauciati. Cæſi Baro *Peterſem* (verus Martis alumnus, & terror hoſtium, non reliquorum tantum, ſed ipſius *Buquoy* maximo luctu) Comes *Meggau*, *Collonellus la Croix*, *Dompré*, *Villé*, *Maſuré*, *Caratti*, & alij mihi ignoti. Læſi verò, *Vicecomes Gaudenſis*, fortitudinis inclytæ, *Comes Pontuibo*, præclaræ ſpei adoleſcens, *Baro D'Iney Fordin*, *Suiſſe*, & inferioris notæ reliqui. Dicunt quidem Aduerſarij, ſeptem millia ſuorum non comparere. Noſtri quoque plures longè in dumetis ac ſiluis, quam in pugnæ loco, occiſos deprehendi, atque fluuium perplures abſorbuiſſe aſſerunt.

Rumor igitur conſtantior, quinq; millia interijſſe pronunciat. At capti *Principis Anhaldi* primogenitus, Dux Saxoniæ de *VVeinmar*, *Comes Schlickenſis*, *Comes Rhenenſis*, Supremus à *Nudeck Schaffenburgus*, & Collonelli, capitanei, nobiles, quorum nec nomina, nec numerum explorare laboraui, cum millibus aliquot gregariorum, cum quinque ſaltem millibus equorum, cunctis tormentis eorumque apparatu, omni commeatu, caſtris denique totis nullo obſiſtente.

Wallones ad ipſas vſque Pragenſes portas perrupiſſe commemini, ac iiſdem, ac cæteris militibus, mœnia triginta pedibus alta, obſtaculo ſolere non eſſe, ſine hyperbole aſſerui. His perniciem ac direptionem machinantibus, conſultius
ſibi

ſibi eſſe Pragenſes merito putauerunt, pacificum permittere aditum,& portas recludere. Indemnitatem ergo pacti, & ſui Regis arbitrio ſubiecti,extemplo ſe dedunt. Hinc illud Chronicum:

In oCtaua beatorVM fVſo hoſte,
Praga propr Io regI poſtr JDIe eſt aſſerta.

Ad diſtinctionem ab Hoſtibus, ſolo albo aliquo ſtrophiolo aut Charta noſtri vtebantur, quamdiu dignoſcendi vſus poſtulabat: hoſtes verò ſimul cum albo cæruleum adhibebant. In noſtro autem ingreſſu, Pragenſes omnis ætatis & ſexus,abiecto cæruleo conati ſunt albo geſtientes optimi ſubditi haberi. *Ieſuitis* verò (qui plures ſunt in vtroque exercitu) conſpectis, Catholici ex animo gratulabundi manus oculoſque ſurſum eleuant.

Hæretici quoque foro ſeruientes, capita aperiunt, dextraſque porrigunt, & nemo non vult illorum amicus cenſeri. *Sic tempora mutantur, & nos mutamur in illis.*

Et tandem finiamus, ſi iuſtum eſt prælium, in quo vtrinque numerus non reperitur longè diſpar, & legionibus legiones, equites equitibus, viro vir, tormenta tormentis,

Haſta haſtis, Et clypeo clypeus, vmbone repellitur vmbo,

Enſe minax enſis, pede pes, & cuſpide cuſpis, in campo (in æqualitate, qua debiliores pares facti ſunt fortioribus) æquali committuntur: hoc iuſtiſſimum eſſe prælium nemo negauerit. Audio quoque inibi eſſe cōmiſſum, vbi vnicum ante Annum *Fridericus* fuit *Rex hiſtrionicus* ſalutatus, & vbi ante paucos dies idem fuit de repente circumfuſus nebula planè tenebroſa, quę in virga s tandem reſoluta eſt, nō ſine vſurpatoris maximo terrore. Æquiſſimum quoque fuit à cauſa, legitimi Regis contra perfidum Intruſorem, & defenſionis Catholicorum contra Caluiniſmum ab Imperio ſemper reiectum, ſed dormientibus agricolis zizaniorum inſtar frumento tandem exitioſorum, vbique pullulaſcentem. Nobiliſſimum item fuit, in quo *Auguſtiſſimus Maximilianus, Dux Bauariæ* Imperatorum multorum propago, & ſingulorum propinquus,

in propria perſona, ſpretis incommodis caſtrenſibus, & belli periculis, Principum confœderatorum copias Pragam vſque duxit, & verò introduxit, ea celeri fœlicitate, vt iure poſſit dicere: *Veni, Vidi, Vidi*: & in quo, inuictiſſimus *Carolus de Longeual*, Comes de Buquoy, viginti ſeptem Annorum præfectura militari inclytus, ſepties Muſquetariorum globulis, & vna haſtili cuſpide tranſmiſſus, trophæis perpetuis glorioſus, titulis ac imaginibus plenus, Generalis Imperatoris Vicarius, Cæſareo exercitui præfuit.

Perilluſtre etiam fuit, in quo Duces, Principes, Marchiones, Comites & Barones, magno numero, Illuſtriores denique Germaniæ, Italiæ, Galliæ, Belgij & Poloniæ Heroes, vel Heroum Sanguine creti, vitam ſuam Cæſari optimo victimam fecerunt. Vt etiam è contra, in quo Caluiniſtæ, Angli, Galli, Hollandi, Rhenani, Bohemi, Germani, Poloni, Hungari, Moraui, Sileſij, Idolo ſuo deiecto vulnus immedicabile & verè lethale acceperunt. Id nunquam colloquijs, nunquam Oratorum Interpoſitione, nunquam ſperata per clementiam reductione euenisset, Comprobatum eſt enim perpetua experientia Tertullianum illud dictum: *Ad officium Hæreticos compelli non allici iuſtum eſſe; duritiemq; eſſe vincendam, non ſuadendam*: Quod ipſum non ſuaſit, ſed imperauit Apoſtolus, (Tit. 1. 14.) dicens, *increpa illos DVRE, vt ſani ſint in fide*. Vtique

——— immedicabile Vulnus
ENSE recidendum eſt, ne pars ſyncera trahatur.

Hoc non credidit Germania, Francia, Anglia, Scotia, Belgium, vt de cæteris breuitatis cauſa taceam, ſed præpoſtera manſuetudine, indulgentius cum Hæreticis agere maluerunt. Sed quo tandem exitu? prorſus luctuoſo. In ſola enim Franconia Germaniæ, vno anno Monaſteria & arces 193. dirutæ ſunt, deinde 16. Epiſcopatus (*Magdeburgenſis, Bremenſis, Halberſtadenſis. Verdenſis, Oſnabrugenſis, Mindanus, Lubecenſis, Vltraiectinus, Caminus, Scherinus Gedanenſis, Brandenburgenſis, Netzenburgenſis, Sleſuicenſis, Hamburgenſis, Libuſſenſis*,) impiè inuaſi, à Laicis profanati, inique retenti. Idem dicendum de

Mo naſte-

Monaſterijs, *Hirſfeldenſi, Valtenrid, Maulbron, Rittershauſen, ad Lapidem, VValdſachſsen, ad S Gilgen, Konigsbrun, Quendelborn, Herfforden, VVeringered*, & alijs iniquè poſſeſſis. Nolo vlterius hanc Camerinam Imperij mouere.

Venio ad te Francia, ſpernens modicum, ac paulatim decidens, tandem tamen poſt acerba prudentior: quippe quæ Hæreſum cauſa Regem *Nauarenſem*; Cardinalem Guiſiæ; Principem *Daulphinum, Condæum, Rochſuriotiun*, Ducem *duplicem Guiſiæ, Nemeroſium, Longauillanum, Niuernenſem (Patrem Filiumq;) Aumalium, Ioieuſium*; Mareſchallum, *Memorenſium, Danuillum, Briſanum, Tauannum, Bironum, Matignianum*, violenta manu ſublatum aſpexiſti. Immò verò ſolo Anno 1572. vel fauentibus Hæreticis, conſecrati vtriuſque ſexus mactati viginti quatuor millia; Virgines coniugeſque (demtis occultis) violatæ ſupra 12. millia trecentæ; Eccleſiæ euerſæ viceſies mille; Monaſteria bis mille; hoſpitalia nonaginta. Denique in decennali bello ciuili vtrinque perierunt bis millena millia, ſeu duo hominum omnis dignitatis, ſexus, & ætatis, milliones. An ergo arbores iſtas ex ſuis fructibus non cognoſces? Sed & ingratam ſibi fuiſſe in Hæreticos clementiam, Deus forte aliunde demonſtrauit, cum violenta morte deinceps ab hæreſi tolerata occubuerint fere omnes tui Reges: *Franciſcus quidem primus* ſolis flagrantiſſimis malignioris Febris ardoribus, *occultum quatiente animo tortore flagellum*, quo Turcam in Europam, licet fruſtra, induxiſſet: *Henricus II.* Haſtiludio, *Franciſcus II. & Carolus IX.* veneficio, *Henricus III. & IV.* cultro.

Item tu Anglia, olim ſanctiſſima, fortiſſima, doctiſſima, quo tandem tuæ te Hæreſes perduxerunt, vt iam ſis Laniena Sacerdotum, Lerna ſectariorum, infamia Chriſtianorum? Quippe quæ Reginam vnam, Cardinalem vnum, Archiepiſcopos tres, Epiſcopos conſecratos quatuordecim & Electos tres, Abbatem vnum, Priores quatuor, Decanos 13. Archidiaconos 14. Canonicos 60. Sacerdotes 350. Ieſuitas 11. morte crudeli, barbarè mulctaſti, mortiſque iniuſtæ cauſa m Comitibus 8. Baronibus 10. Equitibus 26. Nobilibus Viris 350. (demtis ijs, qui in iuſta vitæ ſuæ defenſione occubue-

runt) fœminis vero 110. exhibuiſti. Monaſteriaque 981. Collegia 96. Hoſpitalia 110. turpiſſimè profanaſti, & totam Europam, veluti altera Furia infernalis ſeditionum facie perpetuò ſuccendiſti. Nec ab eo tempore vllus etiam in te Princeps placidè aut piè obiuit, ſed *Henricus VIII.* deſperando, *Eduardus VI.* diſparendo, *Anna Regina* luxuriando, *Eliſabetha* blaſphemando, *Henricus Princeps* inſaniendo, *Anna Regina* procraſtinando.

Tu quoque Scotia Regem tuum *Henricum* Anno 1567. & Reginam tuam *Mariam*, illam Sanctam Martyrem, vt minora omnia taceam, anno 1587. morti vel tradidiſti, vel protruſiſti.

Belgium denique ab Annis propè 60. virorum fortiſſimorum macellum, cum celerrimè properem, nihil de noſtris vel Martyribus, vel alijs dicam, quæ peti poſſunt ex Theatro Crudelitatis Caluinianæ, neque de alijs vrbibus, aut locis, ſed de ſola OSTENDA, vbi te fatente, de tuis ſolis occubuerunt Gubernatores 7. Collonelli 15. Sergenti Maiores 29. Capitanei 566. Locumtenentes 1188. Signiferi 332. Sergenti 911. Corporali nouies mille & centum, Eſſpaſſadi, octies mille, Milites gregarij quinquagies quater mille, ſexcenti, quadraginta & vnus, fœminæ ac infantes 1100. omne genus octuagies ſexies mille, centum & octuaginta nouem.

Plura multa occurrunt, ſed cui iſta non ſufficient, vt Hæreſis malo validè occurrant, nec expectent ſerum cauendi tempus in medijs malis.

Ad vos tandem binos exercituum Duces Sereniſſime *Bauare*, Excellentiſſime *Buquoye*, Verbum habere, vel potius ex Poëta accommodare liceat.

Si duo præterea tales Idea tuliſſet
Terra Viros: &c.

Qui ſimul capita conferrent, & manus:

Ambo animis, ambo inſignes præſtantibus armis,

Velut Hector Troianorum manus, & *Æneas* eorundem

dem mens: quid poſſet reſiſtere? Pergite felices pugnare bella Domini, Interim

Nulla dies vnquam memori vos eximet æuo:
Sed Deus altitonans meritis pro talibus olim
Perpetua, bellis diſcuſſis, pace beabit
In ſuperis, veſtra nec edent obliuia laudem.

Tuæ certè laudes, Illuſtriſſime D. TYLI, Exercitus Bauarici ſupremi Vicarie, minimè reticendæ ſunt. Tu enim prouidendo, dirigendo, & præcedendo, veterani & experti militaris, & verò Generalis Præfecti, vniuerſas impleuiſti partes.

Sed neque vos ſilebo, Pragenſes Catholici, qui in medio gentis prauæ, vt totidem ELEASARI, ab omni ſimulatione abſtinuiſtis, (agnoſcendi conſcio omnium Chriſto legitimi certatores:) quibus repoſita eſt corona gloriæ, quam reddet iuſtus iudex, qui etiam, qui eum erubuerunt ſuoſque ſermones, pariter erubeſcet, cum venerit in Maieſtate ſuâ & Patris & Angelorum.

Et vos indotati à me abibitis Caluiniſtæ Bohemi, Rerumpubl. peſtes & pernicies? Meræ iam columbæ, non amplius milui. Nunc

In melle ſunt linguæ veſtræ, atq; orationes:
Interim, *Corda felle ſunt ſita, atq; acerbo aceto,*

Felle inquam & aceto acidiore, quam cui ferendo ſtomachus calybeus ſufficiat. Id iam compertum & exploratum eſt ex ſupradictis. Fructus arborem qualis ſit etiamnum demonſtrarunt.

Tandem tamen fidelitatem *Ferdinando* ſecundo iuraſtis, & Reuerſalibus vndecimi Nouembris, 1620. cuncta iuramenta confœderatis præſtita, reuocaſtis, irritaſtis, caſſaſtis. An animo iurato, vel iniurato tempus reuelabit. Scio de vobis ab ipſis reformatis ſcribi, etiamſi ſigillis, quot tergus bouinum in lora minutiſſima extenſum capere poſſit, obſtringere eam velitis, non tamen eſſe vllam fidem habendam. Sed hoc relinquamus euentui comprobandum. Dicitis vlterius, in

iiſdem

ijſdem Reuerſalibus; *Syncerissimè, ſine fraude, & dolo.* At pe-
ro an poſtremis iuramentis plura ſigilla appendetis, quam pa-
ciſcendo cum veſtris confœderatis (numerus fuit ingens, fideque maior) appendiſtis, vel alia numina inuocabitis? Aueo audire Caluiniſtarum (quos ſolos alloquor) reſponſum *ſyncerissimum, ſine fraude ac dolo.* De cæteris non deſpero; at de vobis, quos (eheu) nouimus, & in cute, anxius ſum: quia in aduerſis, nihil Caluiniſtica hypocriſi abiectius in proſperis vero nihil eorum inſolentia intolerabilius. Reſponſam igitur, cui opera non repugnabant, auidè expectabo.

Coronidis interim loco, candidati Chriſti martyres, *Smetzaskij,* (vel Domine de *Martinitz*) *Slabata, Philippe,* fide robuſtiſſimi, dignitate illuſtriſſimi, odio hæreticorum præcipui, aduenite. Vos illi præcipitarunt ex feneſtra, ſed cælites, vel ipſis fatentibus, perſpicuo miraculo, damnum auerterunt, & longè maximo per ſæcula ſæculorum honore eſſe celebrandos voluerunt. Initium illis rebellandi fuit à veſtro præcipitio; vtinam & veſtram diuinitus erectionem ſequatur eorum ex infernali abyſſo ereptio.

Et tu *Ioannes Carole Konnig à Konnigsfeld, ac Anna Maria Konnigin* alteri *Abdiæ*, Catholicorum ſacerdotum in perſecutione fotores ac fautores, quos illi primò omnium armis ſpoliarunt, vt iterum pulſo Inuaſore, primi etiam eſſetis, reducum armis Sacerdotum (quos ipſi præ cæteris odio habent) hoſpites, & aureo torque, Sereniſſimi Bauari manu, tanquam legitimi Chriſti athletæ celebres, inuidendæ gloriæ loco habetis. Ad complementum huius narratiunculæ, quæ declarationi iuſtæ, propero & quidem currente calamo præmittitur, hoc vnum attexêre volui: ante *Ferdinandum ſecundum* natum duobus vel tribus annis, religioſiſſimum, Deoque coniunctiſſimum virum (audientibus, qui hodie ſuperſunt, mihique id ante duos annos retulerunt, integerrimis, & omni exceptione maioribus teſtibus) prædixiſſe: *Ferdinandum Secundum*, anno hoc excurrente 1620. *Bohemiam* recuperaturum, & deinde poſtliminio per *Germaniam*

fidei

fidei Catholicæ perennem pacem, ac lumen clariſſimum, diſcuſſis nubibus, priſtino ſplendore effulſurum. Prioris partis veritatem, euentu cernimus: quid ni etiam poſterioris certitudinem ſpe pia præſumamus? Faxit Deus optimus Maximus, per te, dulce Belgij noſtri decus *Buquoie*, cui nomen Bohemicè PAX audit, vt ita ſuſcepta ſint, ac ſemper ſuſcipiantur à te bella, vt in pace ſine iniuria viuatur; & ſublata bello impietate in Deum, peruicacia in principes, nequitia in omnes, de manu inimicorum noſtrorum liberati, ſeruiamus Deo, in Sanctitate & iuſtitia coram ipſo, omnibus diebus noſtris.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google